MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80206-13

AUTHOR:

HARTMAN, JACOBUS JOHANNES

TITLE:

DE HERMOCOPIDARUM MYSTERIORUMQUE...

PLACE:

LUGDUNUM...

DATE:

1880

Master Negative #

91-80206-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hartman, I I
De Hermocopidarum mysteriorumque profanatorum iudiciis; disquisitiones historicae. Lugduni-Batavorum, S. C. van Doesburgh, 1880.
55 p.

Bibliographical footnotes.

1. Sacrilege. 2. Criminal law - Greece. 3. Thucydides.

NNC

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-23-91 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

DE

HERMOCOPIDARUM MYSTERIORUMQUE PROFANATORUM IUDICIIS.

DE

HERMOCOPIDARUM MYSTERIORUMQUE PROFANATORUM IUDICIIS.

DISQUISITIONES HISTORICAE

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN
LITT. HUM. DOCTOR.

LUGDUNI-BATAVORUM
S. C. VAN DOESBURGH

LIPSIAE
OTTO HARRASSOWITZ

1880.

EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE.

„Tute hoc intristi, tibi omnest exedendum."

Viros doctos, quorum in manus hic libellus venturus est, tametsi ad alia omnia properant, hoc rogo, ut non solum titulum adspiciant, sed et „quod scriptum est" legant. Permultum enim vereor ne quis, titulo modo adspecto, libellum, ut qui novi nihil afferre possit, abiiciat e manibus. Et profecto in eum locum Historiae Antiquae, de quo nunc sum disputaturus, iam tot viri docti tanta industria tantaque doctrinae copia inquisiverunt, ut hoc procul dubio affirmare liceat, quaecunque veteres scriptores de ea re tradiderunt a recentioribus esse congesta, omnesque fontes unde notitia de causa obscurissima colligi possit, plane esse exhaustos. Quid mirum autem in tanta tamque diversa materia colligenda disponendaque alium alio modo errasse et a vera demonstrandi via declinasse? Nisi fecissent, non tanta etiamnunc esset iudiciorum discrepantia, sed aut res, quae diu nebulis obtecta fuerat, in clara luce esset posita, aut omnes in hoc saltem consentirent, inutilem esse et vanum laborem, qui in ea illustranda sumeretur.

Equidem mihi communem quendam Virorum Doctorum, qui hanc partem Historiae tractarunt, errorem repperisse videor, quo sublato aliquid certe profecerimus.

Nempe omnes, qui de Hermocopidarum mysteriorumque violatorum iudiciis scripserunt, leviter inspecta brevi et eleganti Thucydidis narratione, neque dum perspecta Thucydidis mente, magis operam dederunt, ut Thucydidem ex Andocide vel minoris etiam pretii scriptoribus supplerent, quam ut ipsum intelligerent. Quo factum est, ut eorum nemo — libere enim dicam quid sentiam — nobilissimi scriptoris locum recte sit interpretatus. Etenim ita mihi persuadeo, non esse Thucydidis et Andocidis testimonia inter se permiscenda — sic enim nascetur, quod vere rudem indigestamque molem appellare possis —, sed ante omnia esse explorandum, quid nobis Thucydides tradiderit, deinde, ubi hoc constat, videndum, quomodo cum eius testimonio ceterorum narrationes sint conciliandae, et, sicubi hoc fieri nequit, omnia, quae cum Thucydidis auctoritate in gratiam reduci non possunt, ut mendacia vel futilia commenta esse reiicienda. Eiusmodi enim Thucydidis narratio est ut, quamquam quid sibi de Hermarum mutilatorum facinore, deque mysteriorum profanatorum crimine videatur, non aperte eloquitur, tamen, dummodo sanum adhibeas iudicium, certo demonstrari possit, quae sit ita narrantis sententia: quod si nobis contigerit ipsam veritatem tenebimus. Nam quod quis dissimulat, quod silentio premere sibi proposuit, si tamen e verbis quibus utitur bene perspicimus, hoc credo magnam habet persuadendi vim.

Initium ergo ita faciam, ut primum verba Thucydidis breviter proponam, simulque annotem, quid ab Historicis aut neglectum sit aut minus recte intellectum; deinde exquiram, quae fuerit ratio, quod consilium Hermarum mutilatorum e

Thucydidis sententia, cui si nimium tribuere videbor, hoc certe efficiam, ut postea, quid de Thucydidis, quid de Andocidis aliorumque auctoritate sit iudicandum rectius et accuratius statuamus.

C. 27. Interea quotquot lapidea Mercurii simulacra in urbe erant una nocte pleraque vultu sunt mutilata. Eius facinoris auctores nemo norat, sed, magnis pro indicio praemiis publice propositis, et illi quaerebantur, *et insuper decretum est ut siquis aliud piaculum admissum sciret, sive civis, sive peregrinus, sive servus, hoc sine poenae timore indicaret.* Atque hoc facinus gravius interpretabantur. Namque expeditionis infaustum omen videbatur; simulque facinus commissum esse putabant per coniurationem rerum novarum causa et status popularis reip. evertendi consilio.

C. 28. Indicatur ergo ab *inquilinis quibusdam et pedissequis* de Mercurii quidem simulacris . . . . NIHIL, sed de aliis statuis ab adolescentibus antea per lusum et temulentiam violatis; simul indicabant mysteria haberi in nonnullis privatis aedibus per contumeliam; quarum rerum et Alcibiadem insimulabant. Hoc autem *illi, qui infestissimo in Alcibiadem animo erant* [1]), *propterea quod ipsis impedimento esset, ne constanter principem locum in rep. obtinerent*, sperantes se si illum eiecissent principes futuros, *arripuerunt*, rem exaggerabant, clamabantque, status popularis evertendi causa et

---

[1]) Droysenus in praeclara illa dissertatione de Aristophanis Avibus et Hermocopidis duobus locis suae expositioni Thucydidis verba praemittit, sed priore loco (Mus. Rhen. III, 188) pro „οἱ μάλιστα τῷ Ἀλκιβιάδῃ ἀχθόμενοι ἐμποδὼν ὄντι σφίσι μὴ αὐτοῖς τοῦ δήμου βεβαίως προεστάναι" unum vocabulum Germanicum „die Gegner" ponit, altero loco (ib. p. 202) ea verba ita vertit: 'Die Beschuldigung gegen ihn *griffen besonders diejenigen auf*, welche ihm feindselig waren weil er... et q. s." Quod haud parum a vero abhorrere quisque videbit.

mysteria habita et Mercurii simulacra esse mutilata: horumque nihil sine illo esse perpetratum: cuius rei hoc argumentum addebant, quod et in victu cultuque corporis ea uteretur insolentia, quae mores populares excederet.

Videamus iam an ex his, quae Thucydidis de facinoris ratione et consilio sit sententia, vel potius quid compertum habeat, efficere possimus. Primum illud apparet, de quo nemo dubitat, illos, qui prae ceteris in omnium conspectu omnes vires intenderunt, ut Alcibiadem perderent, homines populares, demagogos fuisse [1]). Praeter verba citata hoc demonstratur iis, quae sequuntur, ubi narratur (C. 29) illos inimicos, quum Alcibiades postularet ut prius de se iudicium haberetur, quam classis portum relinqueret, metuisse „μὴ μαλακίζηται ὁ δῆμος", quae verba egregie conveniunt in illos, qui „ἐπισίζουσιν et ἐπιρρύζουσιν ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς", et immisisse ἄλλους ῥήτορας.

Dixi neminem dubitare, quin demagogorum opera factum sit, ut Alcibiades in iudicium vocaretur, nemini ignotum esse illos, metuentes, ne militum favore sustentaretur, effecisse, ut de eo absente „fecisse videtur" pronunciaretur; verbo homines populares fuisse, qui nulla dissimulatione, sed palam ante oculos populi inimicitias suas cum Alcibiade sint persecuti. Res in aperto est: ipse Thucydides non obscure ita narrat, neque opus est longa illa argumentorum serie, quam Gilbertus [2]) enumerat. Non enim ille id demonstrat quod

[1]) Roscher Leben, Werk und Zeitalter des Thuc. p. 431: „Das (verba: οἱ μάλιστα τῷ 'Αλκ. ἀχθόμενοι ἐμποδὼν ὄντι σφίσι μὴ αὐτοῖς βεβαίως τοῦ δήμου προεστάναι) wäre doch nur sehr gezwungen von Oligarchen zu verstehen." Nimis clementer vir doctissimus: non esset haec contorta explicatio, sed extrema insania.

[2]) Gilbert Beiträge zur innern Geschichte Athens im Zeitalter des Peloponnesischen Krieges p. 253—267; contra quem si hic illic acrius

vult: namque, dum impugnat sententiam eorum, qui putant Hermas mutilatos esse a coniuratione optimatium, eo consilio, ut Alcibiades in suspicionem vocaretur, non nisi illud probat, populares homines illud facinus in suum usum convertisse. Causa erroris haec est, quod neque ille neque alii satis accurate rationem habuerunt sermonis Thucydidei; unum certe verbum omnino neglexerunt. Ita enim Th. scribit: καὶ αὐτὰ ὑπολαμβάνοντες οἱ μάλιστα τῷ 'Αλκιβιάδῃ ἀχθόμενοι... ἐμεγάλυνον καὶ ἐβόων κτἑ. Atqui ὑπολαμβάνει is, qui, quod alius dicere instituit, excipit, qui, quod ab alio est inchoatum, ad eum finem perducit, quem ipse maxime cupit [1]). Non ergo statim post facinus commissum demagogi Alcibiadem aggressi sunt, sed tum demum, quum ab aliis eius mentio facta esset, clamare et vociferari coeperunt, dataque occasione usi sunt in aemuli sui perniciem.

Videamus iam quid inde sequatur. Si, id quod multis placere video [2]), homines adolescentes a coena redeuntes, non

disputarc videbor, fit hoc, quoniam ille ceteris magis omnia argumenta, partim iam ab aliis prolata, quae cum mea sententia certant, in unum corpus collegit. Nolo hercle ita accipiatur, quasi de viro impensc docto ct egregio eius libro minus honorifice iudicem.

[1]) Si quam accuratissime vim verbi ὑπολαμβάνειν describis, hoc credo addi posse, ne de ea quidem re usurpari, quae se casu fortuito alicui offert, scd de ea tantum quam certo consilio ab alio institutam alius arripit, et in suum usum convertit, ita ut non possit Newtonus, quum pomum de arbore decidens vidisset, recte dici illam rem ὑπολαβὼν legem corporum cadentium excogitasse; sed ille tantum physicus philosophus qui alii inventum suum surripit. Verum haec, quoniam subtilius disputata videri possunt, ad annotationes relegavi, statimque demonstrabo me etiam sine huius argumenti auxilio causam meam defendere posse.

[2]) In his Gilberto p. 252, qui tamen p. 267 ridicule suo se gladio iugulat, ubi, postquam ex Thucydide narravit, ab inquilinis servisque indicatum esse de aliis simulacris mutilatis, haec addit: „In unsern

meditati, sed prae insolentia temulentiaque impium illud scelus commiserunt, quod totam civitatem ipso bello magis consternavit, res erit admodum simplex: statuendum enim erit, optimates omnis in Alcibiadem culpae fuisse immunes, aliosque eum non habuisse inimicos quam demagogos, qui a fortuna datam facultatem sibi non praetermittendam rati, id quod temere ab adolescentibus quibusdam gestum esset, quoniam populo magnae calamitatis videretur prodigium, in miseri sui adversarii caput converterint. Sed quod verisimile est, interdum non est verum.

Quamquam ne verisimile quidem hoc videri potest, nisi illi qui tantum obiter Thucydidem inspexit. Certe non ita visum est Grotio [1]) summo viro, Hertzbergio egregio Alcibiadis vitae scriptori, aliisque viris clarissimis quos a me lau-

---

beiden andern Quellen bei Plutarch und Andocides wird von Anzeigen über Verstümmlung anderer Bildwerke nichts berichtet, offenbar desshalb *weil dieselben*, wie auch Thucydides andeutet, *in trunkenem Uebermuthe, und ohne dass sich bei diesem eine staatsgefährliche Tendenz erkennen liess, zerstört waren.*"

Accedit, quod memoria virum doctissimum fallit; legitur enim apud Plutarchum (Alc. c. 19): *ἄλλων τε ἀγαλμάτων περικοπὰς και μυστηρίων παρ' οἶνον ἀπομιμήσεις τοῦ Ἀλκιβιάδου καὶ τῶν φίλων κατηγοροῦντας.*

[1]) History of Greece VII, 214 de inimicis Alcibiadis: „Their machinations begin with the mutilation of the Hermae ..." et post pauca: „that the destruction of Alcibiades was one of the direct purposes of the conspirators is highly probable. But his enemies, *even if* they were not among the original authors, at least took upon themselves half the guilt of the proceeding." Et in admirabili illa annotatione, qua Hermarum iudicia cum causa quadam ex recentiore historia Angliae comparat (p. 215): „At Athens, there was unquestionably a plot; the Hermocopidae were real conspirators, not few in number. No one could doubt, that they conspired for other objects besides the mutilation of the Hermae. At the same time, no one knew what these objects were, nor who the conspirators themselves were."

dari minime est necessarium. Et profecto illa opinio, non nisi temulentiam in culpa fuisse, nequaquam cum Thucydidis narratione convenit; quod contra est, non esse temere facinus commissum, non dicit quidem, sed ita eum censere ex iis quae narrat liquido demonstrari potest.

Haec enim sunt eius verba: *καὶ τοὺς δράσαντας ᾔδει οὐδείς, ἀλλὰ μεγάλοις μηνύτροις δημοσίᾳ οὗτοί τε ἐζητοῦντο, καὶ προσέτι ἐψηφίσαντο καὶ εἴ τις ἄλλο τι οἶδεν ἀσέβημα γεγενημένον μηνύειν ἀδεῶς τὸν βουλόμενον καὶ ἀστῶν καὶ ξένων καὶ δούλων.* Hoc decretum quid sibi vellet, quae eius esset ratio, quod consilium, nemo Hertzbergio [1]) neque perspexit melius, neque elocutus est, quapropter, ut possim „auctore meam defendere vocem", eius verba hic proponam, quamquam vereor ne vere „barbare", quae ille elegantissime et gravissime Germanice dixit, vertisse videar:

„Illud decretum, quo omnes Athenienses [2]) fide publica data, praemioque proposito, admonebantur ut, quidquid de quavis impietate notum haberent, magistratibus indicarent, viam munivit, quam postea iudicia illa de Hermocopidis sunt secuta. Vix quidquam excogitari poterat, quod graviora afferret pericula. Namque licet quidem putare, senatum populumque in eo decreto faciendo, optima quaeque sibi proposita habuisse. Videri illis poterat, e republica esse, tandem de religione et cultu patrio contra contumeliosam impietatem defendendis cogitare, effrenataeque iuventuti, quae hucusque impune, quidquid populo sacrum videbatur, deriserat, metum incutere. Quin etiam expectare poterant, ita fieri posse, ut

---

[1]) In Alcibiade p. 166 sqq.

[2]) Addendum est: „omnes servi et peregrini" nam ex Thucydidis narratione ne unum quidem verbum sine damno omitti potest.

in impiorum numero Hermocopidas quoque investigarent. Sed, si quis sibi ante oculos proponeret, quantopere iamdudum Sophistarum praecepta patriam fidem in animis eorum, qui aliquid supra vulgus saperent, labefactassent; si quis reputaret, omnes eruditiores miserabilem in modum in eam rem consentire, ut fidem patriam contemnerent, sacra deriderent, divina et coelestia nihili facerent, illum credendum est horrorem invasisse, deliberantem ex eo decreto quot et quanta mala nasci possent. Quo enim saepius in sacra peccatum erat, quo plures impietatis erant affines, eo magis calumniae artibusque delatorum via illo decreto aperiebatur. Revera, ex quo populus eam legem fecit, ut non de Hermocopidis, sed de universa religione quaereretur, iudicia illa, quae de re sacra exerceri dicebantur, exercebantur tamen de republica, quantas calamitates civitati Atheniensium inflixerunt? Ne de magno eorum numero dicam, qui victimae ceciderunt irae et anxietatis popularis, ita hominibus factiosis contigit, ut admirabili calliditate plebeculae pietatem in suae factionis commodum converterent. Sic enim, ut breviter dicam, optimatibus contigit ut, adiuvantibus popularibus [1]), sibi invisum Alcibiadem, qui plurimum apud populum valebat, perderent, simulque statum popularem reipublicae gravi clade afficerent." Quibus mox addit: „in Alcibiadem, cuius in rebus sacris levitas vulgo nota erat, non difficile erat gravissima crimina impietatis proferre."

Neque aliter Droysenus [2]), quem Hertzbergius maximam partem secutus est, illius decreti illos exstitisse auctores et

[1]) Ultima verba quo sensu dicat p. 169 et 171 declarat. Me hac in re cum eo non facere mox apparebit.

[2]) Mus. Rhen. III, 179 sqq.

suasores censet, qui quovis modo Alcibiadem perdere sibi propositum haberent. Et quis quaeso serio putare potest, populum Atheniensem, nullo dolo malo ab Alcibiadis adversariis adhibito, eam legem iussisse? Quid? Consternati erant omnes, trepidabat tota civitas, non ob mysteria profanata, neque ob aliud quoddam nefas admissum, sed ob Hermas plerosque omnes una nocte mutilatos. Populine est in tali re quaestionem decernere de aliis impiis facinoribus? vel eius, qui in contione ea dicit, quae sibi maxime e republica videantur, talem quaestionem suadere? Hercle qui hic non odoratur fallacias tectasque insidias, ne ille animo nimium candido est!

Sed video me iam sensim ad Thucydidem defendendum esse delapsum, quum mihi non nisi eum interpretari proposuissem. Videamus ergo, an ex Thucydide investigare possimus, quales illi Alcibiadis adversarii nobis fingendi sint, qui dolo malo effecerunt, ut decretum illud fieret. Populares homines non fuisse, iam ex eo apparet, quod si ita putaret, non minus libere professus esset, quam paulo post apertas τῶν δημαγωγῶν καὶ ῥητόρων inimicitias describit. Quid quod non solum non dicit, sed ut antea docuimus, uno verbo ὑπολαμβάνοντες palam negat?

Si ergo populus Atheniensis neque sponte sua neque suasu eorum, qui putarent sic optime deos placari posse, legem illam περὶ τῶν ἄλλων ἀσεβημάτων iussit, sed deceptus ab Alcibiadis inimicis, inimicos autem illos demonstravimus non fuisse partium popularium, quid restat quam ut legis illius patronos et suasores optimates fuisse statuendum sit? Atque id non solum mathematica quodammodo ratione — quam in rebus historicis non valere satis scio — sed aliis quoque argumentis probari potest.

Nempe, si semel constat, populum Atheniensem in contione ut praemia proponerentur non tantum illis, qui de Hermis mutilatis, sed etiam illis, qui de qualibet alia impietate indicarent, impulsum esse ab iis qui Alcibiadem perire, quam rempublicam salvam esse mallent, si hoc, inquam, semel constat, necesse est, eosdem viros ante omnia operam dedisse, ut quam primum apud populum Alcibiadis mentio iniiceretur, eiusque adversus deos immortales impia facinora commemorarentur.

Utrius ergo generis homines melius scire poterant ab illo mysteria esse profanata? Hominesne de populo, quorum vix credibile quemquam adfuisse? An iuvenes ex gentibus amplissimis quibuscum esse consueverat? Nam profecto homines nobiles, quamvis gratiosi apud populum esse studeant, tamen non solent ita esse populares, quin in epulis et vino Theognideum sequantur praeceptum:

καὶ παρὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε καὶ ἄνδανε τοῖς, ὧν μεγάλη δύναμις,

malintque cum sui generis hominibus τὸν ἐόντα νόον ἀπολλύναι, quam ἐσθλὰ διδάσκεσθαι ab iis qui sint obscuriore loco nati.

Iam fac de mysteriorum illa profanatione aliquem ad populum pervenisse rumorem, parum tamen probabile est, praeter Alcibiadis necessarios quemquam omnia tam accurate nota habuisse, ut confidere posset se, lege περὶ τῶν ἄλλων ἀσεβημάτων perlata, Alcibiadis culpam populo esse probaturum. Videamus nunc quales homines primi Alcibiadis mentionem fecerint: μέτοικοι et ἀκόλουθοι. Nolo nimis severe agere cum iis, qui nullam optimatium culpam in iudiciis illis versatam esse contendant. Non illud rogo, si quis homo de plebe aliquid de mysteriorum profanatione inaudiverit, quod cum populo communicare vellet, putans id e republica esse, quare non ipse prodierit, quod sciret narraverit, testimonium denunciarit iis, qui sibi narrassent, vel, si a servis audisset, ab eorum dominis postulaverit, ut servos illos ad quaestionem exhiberent. An illud omisisset Thucydides? Certe illi demagogi, qui semel Alcibiade nominato, omnes vires intenderunt, ut populum in eum incitarent, si ipsi eius impietatem novissent, non aliorum indicia expectassent, sed statim vociferati essent, non ὑπολαμβάνοντες, sed ab initio illum deorum irrisorem, illum patriae proditorem, illum, ni ipsi populo providerent, regem et tyrannum futurum omni laterum intentione demonstrassent. Sed mitto haec omnia. Unum rogo. Si qua est suspicio, etiam levissima, in aliquo iudicio fuisse quasdam optimatium partes, nonne multo plus illi suspicioni tribuas, postquam cognoveris indicia prima a pedissequis esse profecta? Praesertim quum illi indices ea ipsa indicaverint, quorum causa paulo ante lex de indiciis lata et perlata erat. Nam immissos illos inquilinos et pedissequos, et pretio corruptos fuisse quis neget? Cleones autem et Hyperboli non solent suos sibi pedissequos habere. Lautioribus tantum hominibus isti praesto sunt, et, quod ab illis imperatur, quamvis sit nequam exsequuntur.

Lex ergo περὶ τῶν ἄλλων ἀσεβημάτων nihil spectabat praeter Alcibiadis perniciem: qui tulerunt, eosdem effecisse, ut prima Alcibiadis mentio fieret, res ipsa clamat; impietatem eius praeter iuvenes, summo loco natos, vix quisquam accurate novisse poterat. Prima de eo indicia fiunt per inquilinos et eos servos, quorum opera nonnisi homines nobiles utuntur, quum ex civibus nemo eius mentionem faciat. Quis, hisce ita propositis, non sentiat, primo tempore populum Atheniensem de Alcibiade ne cogitasse quidem, sed optimates quosdam et legem illam perniciosam suasisse, et primos indices produxisse; erant enim inter illos qui εὐνούστατοι τῷ δήμῳ ἐδόκουν εἶναι.

Nondum omnia, quae ex nostro loco disci possunt, exposui. Inquilini nempe illi et pedissequi, quibus prima indicia debentur, de aliis quidem deorum simulacris et de mysteriis profanatis indicant, sed de Hermis ipsis .... *nihil* [1]). Magis hoc argumento quam ceteris omnibus probatur id, quod modo demonstrare conatus sum [2]), auctores legis περὶ τῶν ἄλλων ἀσεβημάτων unam Alcibiadis perniciem spectasse, de religione et consternatione publica satis securos; eosdem immisisse indices, non qui de impii facinoris, quod omnium animos gravi terrore perculerat, auctoribus populum facerent certiorem, sed qui facultatem et occasionem praeberent Alcibiadem aggrediendi. Verum, quamquam sic satis intelligitur, a talibus hominibus non fuisse expectanda gravissima et maximi momenti indicia de Hermocopidis, tamen quod nihil omnino de iis indicaverint est quod miremur. Causa tamen non latet in densis tenebris: dummodo sanum adhibeas iudicium, simul et ea causa quae fuerit apparebit, et quid de Hermocopidarum flagitio sit censendum, magis quam si undecunque colligas testimonia perspicietur. Dicebam esse quod miremur indices de ipsis Hermocopidis nihil narrasse. Profecto, quamvis impudentes illos fingas, qui servos suos ad indicandum in contionem miserint, tamen erat res ardua et suspicionis plena, de eo, quod primarium erat, tacere, et statim ad alia impia facinora transire. Certe, si illi celare vellent, sibi esse aliquam societatem cum auctoribus legis περὶ τῶν ἄλλων ἀσεβημάτων, multo cautius fecissent, si saltem aliquid de iis impiis qui

---

[1]) Ad illud περὶ μὲν τῶν Ἑρμῶν οὐδέν nemo historicorum attendit. Prorsus omittit Gilbert l.l. p. 267.

[2]) Miror neminem eorum, qui operam dederunt ut demonstrarent, Alcibiadem ab omni Hermarum mutilatorum suspicione esse remotum, (Grote p. 170) de hoc argumento cogitasse.

maxime quaerebantur finxissent. An credis indices illos fuisse tam sincera fide homines, ut tacerent potius quam mentirentur? Verum, ut iam dixi, non est quod diu quaeramus. Dominorum enim intererat, ut de Hermis mutilatis prorsus taceretur, sed ad mysteria mentes hominum converterentur. ***Pedissequorum illorum domini***, inquam, ***ut possent omnes illas in Alcibiadem machinationes instituere, aut ipsi, aut per amicos suos, Hermas mutilaverant.***

Quae deinde, quum semel Alcibiades inter eos nominatus esset, qui mysteria profanassent, sunt secuta, ea apud Thucydidem ita perspicuo narrantur, ut non opus sit iis explicandis immorari. Magis consentaneum erit, ut iam nostris verbis totam rem, quemadmodum e Thucydidis narratione confici potest, demonstremus, et Alcibiadis inimicorum insidias ab initio exponamus. Optimates Athenienses, quum nihil intentatum relinquere vellent, quominus invisa sibi et odiosa in Siciliam expeditio fieret, Alcibiadem populo suspectum reddere statuunt, sperantes ita fore, ut aut decretum de bello in Sicilia gerendo, cuius ille acerrimus fuerat suasor, rescinderetur, aut saltem, ducum peritissimo remoto, illud bellum non felici illo eventu gereretur, quem, eo duce, animo praesagiebant [1]). Quumque eum deorum patriorum contemptorem esse novissent, idque data occasione multis argumentis probare se posse scirent, nihil habebant antiquius, quam ut prius adversus omnes, qui de rebus divinis liberius cogitarent, popularium animos stimularent incitarentque. Ergo nocte quam occultissime deorum simulacra, quae erant ante omnium oculos mutilant, itaque toti populo metum religiosum, acerrimumque adversus impios odium incutiunt. Re in contione proposita,

---

[1]) Cf. Grote p. 171.

unum et alterum e sinu suo ad populum prodire iubent, qui, *δοκοῦντες εἶναι εὐνούστατοι τῷ δήμῳ*, de impietate late grassante quererentur, deos immortales contemni, poenasque divinas esse metuendas, et iam iam instare ostenderent. Ita populo persuadent, ut de tota religione quaereretur, decretumque fieret, quo non solum de Hermis, sed de quolibet impio facinore, quod commissum esset, indicia, fide publica data, expostularentur. Iam, quum res eo pervenisset, prodeunt ad populum indices, quos prius paraverant, quidque esset dicendum tacendumque edocuerant. Illi, quod erat exspectandum, de Hermis nihil indicant, sed de aliis simulacris mutilatis et mysteriis profanatis, quorum et Alcibiadem incusaverunt. Verum, semel Alcibiadis quum mentio iniecta esset, aliud genus inimicorum prodit: demagogi enim, quibus Alcibiadis apud populum gratia officiebat, facultatem sibi a fortuna datam lubentissime arripuerunt, ut adversarium suum perderent. Ad quos quum ita res pervenisset, optimates causam, quam ipsi instituerant, relinquunt atque e certamine recedunt; quin etiam non possunt prohibere, quominus et sui generis homines, *πάνυ καλοί τε κἀγαθοί* intereant. Sic id quod optimates clam instituerant, homines populares palam in usum suum converterunt [1]).

Ea rei expositio, quam non contorta et fallaci ratiocinatione, neque minutissimis undecunque corrasis auxiliis probare opus est, sed quae sponte e Thucydidis verbis prodit, dummodo lector sit ingenio paulo sagaciore, mihi perquam probabilis videtur, et egregie cum indole reipublicae Atheniensis convenire. Nolo tamen ita de meis disquisitionibus iudicetur, quasi rem prorsus novam et inauditam mihi videar repperisse, et novam quandam lucem Historiae antiquae attu-

---

[1]) Cf. p. 8, ann. 1.

lisse; — *οὐχ οὕτω τετύφωμαι*. Nam, quamquam mea sententia ab Historicis recentioribus aut prorsus aut pro altera parte abhorret, — alii enim nullam in iudiciis et nefario facinore optimatium culpam versatam esse contendunt, alii de quadam demagogorum et optimatium societate loquuntur — tamen saltem unus *πολλῶν ἀντάξιος* Grotius [1]) idem de Hermocopidis et iudiciis, quae insecuta sunt, censet quod ego supra fusius exposui. Unum illud novum me repperisse arbitror, eam Thucydidis quoque sententiam fuisse. Videndum nunc erit, quae contra eam ab Historicis afferantur, qua occasione simul utar ut, quod ab initio mihi proposui, ostendam, prae Andocide fere neglectum hucusque iacuisse Thucydidis testimonium. Sed unum praemittam, ex quo appareat, quanta saepe etiam in rebus gravissimis doctorum virorum sit incuria et negligentia.

Quin oratio *περὶ τῶν μυστηρίων* ab ipso Andocide scripta sit, nemo Historicorum recentiorum, quos quidem ego inspexi, dubitat; argumenta a Nabero [2]) in dissertatione proposita nihil movere viros doctos videntur. Atqui, si Andocides eius orationis auctor est, fieri non potest, quin fuerit inter Hermocopidas; ille enim qui, ut ait Thucydides, *ἐδόκει αἰτιώτατος εἶναι*, si nil habet quo se defendat, praeter id quod § 61ª narrat: *εἰσηγήσατο μὲν πινόντων ἡμῶν ταύτην τὴν βουλὴν Εὐφίλητος, ἀντεῖπον δὲ ἐγώ κτέ.*, hercle se ipse indicat. Neque minus apud omnes constat, Andocidem oratorem in bello Corcyreensi praefuisse classi; quae de ea re

---

[1]) p. 172: „That which the mutilators of the Hermae seem to have deliberately planned, his other enemies were ready to turn to profit."

[2]) S. A. Naber spec. Acad. Inaug. de fide Andocidis orationis *περὶ τῶν μυστηρίων*. L. B. 1850.

disputavit Naberus [1]), quamvis sint gravissima, viri docti nihili faciunt [2]). Et sunt inter eos qui arbitrentur, Hermarum flagitium non nisi a temulentis adolescentibus esse commissum. Verba sunt Gilberti [3]), quae quia ridiculi aliquid habent, Germanice afferre lubet: „Bei der Entscheidung der Frage, welche von diesen Deutungen das grösste Mass der Wahrscheinlichkeit in Anspruch nemen darf, kann ich mich nur für diejenige erklären, die in dem Hermenfrevel die That übermüthiger Jünglinge erkennt. Trunkenheit, und der in einem solchen Zustand besonders starke Zerstörungstrieb des Menschen gewähren eine hinreichende Erklärung des Ereignisses." Verum, si revera Andocides a. 432 classi praefuit, tempore Hermocopidarum certe non erat „ein übermüthiger *Jüngling*" [4]).

Sed haec hactenus.

Omnibus fere viris doctis maximi momenti argumentum esse videtur, quod Alcibiades ipse Spartae in contione professus est, se demagogorum opera in exsilium missum esse. Sufficiat nominasse Roscherum [5]) et Gilbertum [6]). Non pos-

[1]) l. l. p. 9ᵃ sq.

[2]) Praeter Kirchhoffium (in Herme vol 1°) omnes viri docti nimis despicere videntur Lysiae, qui dicitur, orationem in Andocidem, quam ut ei quidquam tribuant. Ipse Herwerdenus ad Thuc. I, 51 annotat: Andocides, clarus ille orator.

[3]) l. l. p. 252.

[4]) Minus ad rem facit quod eodem modo Grotius quoque peccat; p. 205: „he was a young man of rank and wealth in the city."

[5]) l. l. p. 431: „überdiesz erklärt Alkibiades selbst zu wiederholten malen, dass ihn die demokratischen Parteihäupter verjagt haben: sowohl in Sparta (VI, 89), was man vielleicht für Täuschung ausgeben könnte, als auch den Athenern gegenüber, die doch jedenfalls genau davon unterrichtet waren (VIII. 47)." Quasi non prorsus eadem res esset!

[6]) l. l. p. 253: „wenn man aber den gezwungenen Zusammenhang betrachtet, in den der Mysterienprocess gegen Alkibiades mit der

sum satis mirari, viros doctos ita in clara luce caecutire. Unus Grotius [1]) hic quoque sibi imponi passus non est, et fere omnia, quae in ea oratione Alcibiades mentitus est, refutavit; neque tamen in re tam aperta tam gravi auctore opus est. Quid, quaeso, impudentius ab Alcibiade dici potuit quam: *τῆς ὑπαρχούσης ἀκολασίας ἐπειρώμεθα μετριώτεροι ἐς τὰ πολιτικὰ εἶναι*, qui ante paucos menses Niciae aliorumque in republica temperantiam acerrime impugnasset, et infimae plebeculae levitate et credulitate abusus esset ut funesta illa expeditio fieret? Quis unquam perfidiam et fallaciam scelestiorem adversus hostes acerrimos adhibuit, quam qua Alcibiades Spartanos foedus et amicitiam cum Atheniensibus petentes deceperat, quum, privatas inimicitias ulciscendi causa, foederis cum Argivis auctor exsisteret? Tamen de ea re ita loquitur quasi iustas inimicitias aperto certamine exercuerit: *καὶ διὰ ταῦτα δικαίως ὑπ' ἐμοῦ πρός τε τὰ Μαντινέων καὶ Ἀργείων τραπομένου καὶ ὅσα ἄλλα ἠναντιούμην ὑμῖν ἐβλάπτεσθε.* Quis tota Graecia minus alienus erat ab affectatione tyrannidis? Tamen non pudet eum in publico conventu dicere, se eo tantum nomine popularem dici posse, quod tyrannidis adversarius sit. Profecto qui ita, quaecunque antea gessit cogitavitque, eo detorquet, ut se hominem Spartanorum mentibus et vo-

Einsetzung der 400 gebracht is (ab Isocrate in or. de bigis), so wird die Angabe um so verdächtiger, als wir die gewichtige Erklärung des Thukydides besitzen, die dieser sogar dem Alkibiades selbst in den Mund gelegt hat, dass er von den Demokraten und deren Führern aus Athen vertrieben sei (VI, 89; VIII, 47; vergl. auch VIII, 53; VI, 15.)."

Ultimus locus, quem G. affert, nihil probat praeter id quod omnes norunt, homines populares in omnium conspectu suas cum Alcibiade inimicitias esse persecutos; et quod ad VIII, 53 attinet, quis Pisandro fidem habeat?

[1]) VII, 240.

luntati accommodatissimum et esse et semper fuisse demonstret[1]), hebes fuisset, si de Mysteriorum crimine aliter exposuisset, quam ut demagogorum nequitiae exsilium suum crimini daret. Et quod addit Roscherus: „quod Alcibiades ita Spartae loquitur, Spartanos decipere videri potest: verum eadem coram Atheniensibus dicit, qui tamen procul dubio accurate noverant quomodo res gesta esset", eodem iure dicere liceret: „quod Alcibiades de fallaciis, quibus Spartanos in foedere cum Argivis faciendo circumvenerat, coram Spartanis, quos optime meminisse expectes quam turpiter suis legatis Alcibiades imposuisset, ne verbum quidem facit, satis demonstrat, quaecunque de ea re traduntur, a Thucydide ficta esse". Nam et Athenienses, de quibus Thuc. VIII, 47 sermo est, sunt *οἱ δυνατώτατοι* et *οἱ βέλτιστοι τῶν ἀνθρώπων*. Accedit quod, quae de mysteriorum iudiciis dicit ne falsa quidem sunt; omittit tantum ea, quae minus e re sua esse videantur, quod hercle homines Alcibiade multo candidiores interdum facere non verentur.

Ad duos Thucydidis locos viri docti omnino non attenderunt, quamquam multo maiorem in nostra causa vim habent, quam omnia ea quae apud eundem Alcibiades mentitur. Leguntur L. VIII, c. 63 et 68.

Καὶ ἔν σφισιν αὐτοῖς ἅμα οἱ ἐν τῇ Σάμῳ τῶν Ἀθηναίων κοινολογούμενοι ἐσκέψαντο Ἀλκιβιάδην ἐπειδήπερ οὐ βούλεται ἐᾶν· καὶ γὰρ οὐκ ἐπιτήδειον αὐτὸν εἶναι ἐς ὀλιγαρχίαν ἐλθεῖν.

---

1) Egregie Grotius p. 240: Doubtless the inferences so drawn from the speech would be unsound, because it represented, not the actual past sentiments of Alkibiades, but those to which he now found it convenient to lay claim.

Παρέσχε δὲ καὶ ὁ Φρύνιχος ἑαυτὸν πάντων διαφερόντως προθυμότατον ἐς τὴν ὀλιγαρχίαν δεδιὼς τὸν Ἀλκιβιάδην.... νομίζων οὐκ ἄν ποτε αὐτὸν κατὰ τὸ εἰκὸς ὑπ' ὀλιγαρχίας κατελθεῖν.

Atque ita opinantur Phrynichus et eius similes, homines qui vel Grotio melius de republica Atheniensi iudicare poterant. Nonne hinc satis apparet, optimates ipsos sensisse, Alcibiadem tam acre erga se imo pectore servare odium, ut illud nullum tempus delere posset? Et quî ita sentire poterant, si nullius erga eum culpae sibi conscii essent? Namque illi, qui partium popularium erant, quamquam sciebant suos duces non ante multos annos omnem lapidem movisse, et omnibus modis populum incitasse, ut Alcibiades condemnaretur, tamen sperare poterant, se facili negotio cum Alcibiade in gratiam redituros: *Ἀλκιβιάδην τε, ἢν αὐτῷ ἄδειάν τε καὶ κάθοδον ποιήσωσιν, ἄσμενον τὴν παρὰ βασιλέως ξυμμαχίαν παρέξειν.* (Thuc. VIII, 76 versus finem). Quis non perspicit demagogos, quantacunque eorum in Alcibiadem invidia fuisset, quam maximo clamore testati erant, inscios tantum illas in eum machinas admovisse, quas optimates, qui cum Alcibiade in una civitate vivere se non posse intelligebant, paraverant?

Aliud argumentum, quo eos refellere solent, qui primas partes optimatibus tribuunt, hoc est, quod illi, quos ex Andocide novimus morte sua impietatis poenas dedisse, omnes homines nobiles fuerunt. Hic mihi primum illud monendum, quod numquam satis observatur. Saepissime demonstratum est quam sit sublesta fides Andocidis. Nemo contradicit, tamen ad unum omnes Historici, ubi de huius temporis historia exponunt, uno Andocide nituntur, eumque quasi certissimum ducem sequuntur. Mox graviora exempla afferemus, nunc hoc

unum sufficiat monuisse, omnes nomina illa reorum, quae apud Andocidem leguntur, bona fide et nihil dubitantes recipere. Quin etiam ita se ei dedunt, ut et de iis, de quibus nemo quidquam scire potest, graviter et docte disputent, et, sicubi nomen cuiusdam reperiatur, qui non fuit inter id genus hominum, quos probare student iudiciorum de re sacra violata victimas fuisse, *ὁμωνυμίας* fingant, huic scilicet rei ante omnia operiam dantes, ne de suo cum Andocide consensu quidquam detrahatur. Iucundum est Roscherum [1]) videre qui, quamvis magnam in ea re undique doctrinam colligat, tamen non potest ultra eos fines progredi, quos ipse semper repetitis vocabulis „fieri potest", „veri similiter", „fortasse" designat. Ex plus 30 hominibus vix 10 sunt, de quibus aliunde certi aliquid novimus. Et quam saepe Roscherus absurdum in modum historiae vim facit [2]).

Fac autem omnes illos, qui impietatis crimine sunt damnati, sine ulla exceptione optimates fuisse. Quid deinde? „Absurdum est" ait Gilbertus [3]) „machinationis, quae illud effecit ut, quae inde incommoda nata sunt, in optimatium capita converterint, optimates fuisse auctores opinari". Concedo Cassianum illud „cui bono" singularem vim habere ad

---

[1]) l. l. p. 427 sqq.

[2]) Turpe est versus ex Avibus (1701):

κἀπὸ τῶν ἐγγλωττογαστό —
ρων ἐκείνων τῶν Φιλίππων
πανταχοῦ τῆς Ἀττικῆς ἡ
. γλῶττα χωρὶς τέμνεται.

ita explicare: Philippos .... der in den Wespen ein Opfer der democratischen Richter heisst.

Et quid significat: Charöades der *nach Kleons Sturz* mit Laches zusammen in Sicilien commandirte.

[3]) l. l p. 254.

reum convincendum, sed simul addo, ita saepe innocentes convinci posse: itaque ancipitem esse et fallacem huius formulae in rebus iudicandis usum. Quanto magis in historia? Verum sit non iniusta illa inquirendi ratio, immo sic valeat, ut cuicumque aliquod maleficium profuit, illum commisisse, cuicumque nocuit, illum esse innocentem statuendum sit, tamen ne hoc quidem nostrae causae obesse contendo. Ita enim Thucydidem narrare demonstravi, ut optimates doceat rem instituisse, Hermas mutilasse, legem *περὶ τῶν ἄλλων ἀσεβημάτων* suasisse, postremo ut inter suspectos Alcibiades quoque ab indicibus nominaretur effecisse, sed postea, quum demagogi de evertendi status popularis consilio clamare coepissent, e certamine recessisse, neque prohibere potuisse quominus et *ἀξιόλογοι ἄνθρωποι* in vincula coniicerentur, et morte poenas luerent. Hoc si teneas non amplius te Cassiana sententia morabitur. An clandestina illa optimatium consilia semper tam prudenter et caute instituuntur, ut iis verendum non sit, ne ipsi in suas plagas incidant? Nonne ipsa historia docet, optimates, quum de iusta victoria desperent, animo ardenti et exasperato plerumque ad eas artes confugere, quae suis rationibus maxime noceant? Quid? Quum de longis moenibus Piraeum versus aedificandis lex perlata esset — utar enim exemplo, quod nostrae causae mirum quantum affine est —, quumque optimates, quibus ea res non minus ingrata erat quam posteris eorum expeditio Siciliensis, consilium iniisdent de patria hostibus tradenda [1]), nonne id effecerunt, ut et nobiles, quibus patria carior esset, cum populo redirent in gratiam [2]), et suae factionis homines in Boeotia opprimeren-

---

[1]) Thuc. I. 107.

[2]) Plut. Cim. 17.

tur [1]), postremo ut moenia illa maiore festinatione exaedificarentur [2])? Quod si quis aliud quoque exemplum desideret, adeat Müllerum-Strübingium, qui in aureo illo libro „Aristophanes und die Historische Kritik," de Plataeënsi proditione non absimili ratione exponit [3]).

Si revera homines nobiles, Alcibiadis perdendi consilio, Hermas mutilaverunt, legemque qua de universa religione indicia expostulabantur pertulerunt, necesse est eosdem homines tibi fingas operam dedisse, ut primo quoque tempore Alcibiades eiusque impietas proferretur, iamque antea servos suos et clientes nonnullos subornasse, qui data facultate populum de Mysteriis ab Alcibiade profanatis edocerent. Illos autem insidiarum ministros supra contendi eosdem esse, qui a Thucydide *μέτοικοι καὶ ἀκόλουθοι* dicuntur. Quos si aliquo modo demonstrari potest, aliquanto post legem *περὶ τῶν ἄλλων*

---

[1]) Thuc. I, 108.
[2]) Thuc. ib.
[3]) p. 238. Ipsa afferre lubet verba sagacissimi viri, qui quamvis supra meas laudes sit, tamen hic mihi laudandus est, non tantum, ut mihi sit testimonio, sed multo magis, ut ita data occasione utar proloquendi, quanto opere eum admirer: „Freilich wenn Herr Wachsmuth (qui Plutarchi narrationi de illa proditione fidem negat) bei seiner Verwunderung das Gewicht auf das *Unsinnige* legt, auf die völlige Undenkbarkeit des Gelingens eines solchen Planes, die bewaffnete Demokratie im Lager auf eigne Hand aufzulösen, und erst *im Falle des Misslingens* einen Rückhalt an den Persern zu suchen, nota bene, wenn die Herrn Verschwornen dann noch lebten, und wenn sie nicht vielmehr bei dem Misslingen des Versuchs von den Demokraten sofort niedergehauen waren... wenn Herr Wachsmuth darauf das Gewicht legt, so hat er Recht, die Sache kaum, oder vielmehr gar nicht begreiflich zu finden!" Quae post pauca addit: die permanente Verschwörung des von seiner Machtfülle gestürtzten Adels ist der „rothe Faden"... iis afferendis supersedere possum, quia iam in ore populi literati versantur.

ἀσεβημάτων perlatam de Alcibiade indicasse, tota mea disputatio, reique expositio, quam Thucydideam esse demonstrare conatus sum, evertitur et corruit. Ipse autem Thucydides ita narrat, ut, quin statim illi pedissequi et inquilini ad populum prodierint, non sit quod dubites. Postquam enim docuit, quare populus in inquirendo de Hermarum flagitio tam acer fuerit, statim ita pergit: *μηνύεται οὖν ὑπὸ μετοίκων τέ τινων καὶ ἀκολούθων*, nullo addito vocabulo, quo longius quoddam temporis intervallum significetur. Et apertius etiam Plutarchus [1]): *ἅπασαν ἐξήταζον πικρῶς ὑπόνοιαν ἥ τε βουλὴ συνιοῦσα περὶ τούτων καὶ ὁ δῆμος ὡς ἐν ὀλίγαις ἡμέραις πολλάκις ἐν δὲ τούτῳ δούλους τινὰς καὶ μετοίκους κτέ.* Quid vero recentiores historici? Plerique omnes in eo consentiunt, ut dicant longum esse elapsum tempus, antequam de sceleris auctoribus quisquam populum faceret certiorem. Satis erit Droysenum [2]) nominasse et Hertzbergium [3]). Hoc illud est quod modo dicebam prae Andocide Thucydidem contemnere et negligere, et ex alterius narratione alterius testimonium non

---

[1]) Alc. 18 sq.
[2]) Mus. Rhen. III, 169: Sobald die That ruchtbar geworden war, folgten Rathssitzungen, Volksversammlungen, Aufruf zur Denunciation auch von anderweitigem Religionsfrevel. Man fand keine Spur der Thäter. Schon waren die Bundestruppen in Athen, schon lag eins der Admiralschiffe vor dem Hafen. Da endlich brachte Pythonicus u. s. w.
[3]) Alcibiades p. 208: Man denke nur daran, wie lange es, trotz aller offiziellen Aufforderungen, ja trotz der Blutpreise dauert, ehe die erste Anzeige gemacht wird! Quamquam Hertzbergius suo se gladio iugulat, qui paulo ante ita dixerit: „Umsonnst versammelten sich, jeden Verdacht scharf zu untersuchen, Senat und Volk wiederholt in wenigen Tagen. Da entschloss man sich endlich zu dem heillosen Decret: wenn Jemand, gleichviel ob Bürger, Fremdling oder Sklave" u. s. w. Si enim „tandem aliquando" illud decretum factum est, (quod Thucydide auctore pertinaciter nego) non multi dies ante Pythonici indicium restant.

supplere sed depravare. Qui enim longius temporis spatium inter funestum illud decretum et primam denunciationem intercessisse contendunt, Andocidis auctoritati sese dedunt, ita narrantis, Pythonicum indicem ad populum prodiisse, quum iam classis in eo esset ut vela daret, deinde ceteros indices recensentis, sed qui ante Pythonicum indicaverit nominantis neminem. Quumque satis probabiliter Droysenus illius temporis chronologiam ita statuerit, ut Hermarum flagitium in diem X m. Maii incidat, Pythonici autem indicium in diem IX m. Iunii, inde probant, fere solidum mensem intercessisse, quo nullum indicium ad populum pervenerit [1]. Non dicam, mihi multo probabiliora videri Goetzii [2] et argumenta et computationem, ita censentis, Hermarum scelus non esse commissum ante diem VIII m. Iunii, i. e. non plus septem diebus antequam classis abiret. Nam etiamsi verum viderit Goetzius, tamen fieri non potest, ut Andromachus et Teucer iidem sint qui a Thucydide *ἀκόλουθοι* et *μέτοικοι* appellantur. An sic plurali numero significari possunt unus servus et unus inquilinus: vel potius unus tantum servus, nam Teucer de Alcibiade ne verbum quidem facit. Hercle si viri docti semper ante oculos haberent, id quod nemo eorum ignorat, incertissimum et fallacem ducem esse Andocidem, non vererentur hoc pro certo affirmare, Thucydideos illos *μετοίκους* et *ἀκολούθους* ab

---

[1]) Certe qui ante Droysenum fuit Sluiterus in Lectionibus Andocideis p. 57: „ac tum quidem" ait „de Hermis nihil est indicatum: ***non diu*** vero postea, quum classis in Siciliam abiret, iamque Lamachi Imperatoria triremis portum relinqueret, surrexit derepente Pythonicus" e. q. s.

[2]) Wilhelm Goetz der Hermokopidenprozesz (in Supplemento Fleckeiseni Annalium Vol. VIII); qui libellus, summa cura et diligentia scriptus, cur a censore in diario c. t. „Literarisches Centralblatt" tam inique improbatus sit, non assequor.

Andocide prorsus esse omissos [1]), non primum Pythonicum denunciasse, sed eum praecessisse magnum indicum numerum, verbo fuisse quidem quasdam Pythonici in illis iudiciis partes, non vero eas, quas ei tribuit Andocides. Et profecto, qui accurate Andocidem legerit, et inter legendum sanam mentem adhibuerit animumque intenderit, ubi orator narrat aliquem virum aliquid fecisse, dixisse, suasisse, viri illius nomen habebit, sed utrum ille id fecerit dixeritque, quod narrat Andocides, an aliud quid, nisi aliunde certo constet, se iuxta cum ignarissimis ignorare fatebitur. Quod ne imprudenter et incaute pronunciasse videar, viros nonnullos, quorum nomina, facta, casus apud Andocidem leguntur, recensebo, atque oratorem demonstrabo alias certare cum Thucydide, alias veritatem in suum usum detorquere, alias incuria et negligentia aut ipsum sibi obloqui, aut id narrare, quod fieri nunquam potuisse probe novimus, nisi iterum iterumque ad homonymiarum *συκίνην ἐπικουρίαν* confugiamus.

Thuc. c. 60, anxiam populi Atheniensis in Hermocopidis investigandis curam civitatisque trepidationem describens, his utitur verbis: *καὶ πάντα αὐτοῖς ἐδόκει ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ὀλιγαρχικῇ καὶ τυραννικῇ πεπρᾶχθαι. καὶ ὡς αὐτῶν διὰ τὸ τοιοῦτον ὀργιζομένων πολλοί τε καὶ ἀξιόλογοι ἄνθρωποι ἤδη ἐν τῷ δεσ-*

---

[1]) Vidit hoc Naberus de fide Andocidis or. de myst. p. 21: „Cur memorare supersedet Androclem de quo Plut. Alc. 19: *ἐν δὲ τούτῳ δούλους τινὰς καὶ μετοίκους προήγαγεν Ἀνδροκλῆς κτέ.*" Eosdem illos fuisse servos et inquilinos, quos habet Thucydides, negari non potest. Neque facio cum Gilberto neganti p. 268, Androclem eos produxisse. Admodum enim mihi videtur probabile, subornatos istos indices, patronorum suorum suasu, quo maiorem haberet fidem indicium, primum se ad Androclem, probatum populi fautorem contulisse, atque ita Androclem nihil suspicantem primum demagogorum fuisse, qui se optimatium praebuerit ministrum.

μωτηρίῳ ἦσαν καὶ οὐκ ἐν παυλῇ ἐφαίνετο, ἀλλὰ καθ' ἡμέραν ἐπεδίδοσαν μᾶλλον ἐς τὸ ἀγριώτερόν τε καὶ πλείους ἔτι ξυλλαμβάνειν, ἐνταῦθα ἀναπείθεται εἷς τῶν δεδεμένων κτέ. Non est credo boni scriptoris in talibus id, quod maxime ad lectorum animos commovendos pertinet, omittere; ergo ne Thucydides quidem, ut opinor, si quid carcere et vinculis atrocius proferre potuisset, in uno ξυλλαμβάνειν substitisset, sed, si vel unus impietatis suspicione necatus esset, hoc quoque suo loco addidisset; quoniam populi in prehendendis tantum suspectis vehementiam affert, pro vero constat, ante Andocidis confessionem nullum capitale supplicium esse sumptum. Andocides tamen non solum § 13^a narrat: Πολύστρατος συνελήφθη καὶ ἀπέθανε (post Andromachi indicium), sed et § 34^a: οἱ μὲν αὐτῶν φεύγοντες ᾤχοντο, οἱ δὲ συλληφθέντες ἀπέθανον κατὰ τὴν Τεύκρου μήνυσιν; § 49^a: οἱ μὲν τεθνᾶσι οἱ δὲ οἴχονται φεύγοντες (ita Andocidem alloquitur in carcere amicus); § 52^a: οἱ μὲν ἤδη ἐτεθνήκεσαν ὑπὸ Τεύκρου μηνυθέντες; § 67^a: καὶ μηνύσαντος κατ' αὐτῶν Τεύκρου οἱ μὲν αὐτῶν ἀπέθανον οἱ δὲ ἔφυγον.

Excepto uno Polystrato omnes, qui ab Andromacho erant denunciati, fugiunt; eorum primus et ordine et nobilitate est Alcibiades. Est ea mera oratoris negligentia, e qua tamen apparet, quam parum ei cordi sit veritas; neque licet violenta aliqua explicatione rem eo deducere, ut, quod incuria est, brevitatem dicamus, nam idem recurrit § 16^a, ubi quos Agariste indicaverat recensentur: Charmides, Alcibiades, Axiochus, Adimantus, additis verbis καὶ ἔφυγον οὗτοι πάντες ἐπὶ ταύτῃ τῇ προφάσει.

Ergo et Charmides fuga poenam vitavit. At § 47^a Charmides est in carcere, et notum illud consilium Andocidi dedit. Hic tamen duas video defensiones paratas et saepius

adhibitas. Altera est infirmum illud ὁμωνυμίας praesidium, quo equidem nunquam lubens utar. Absurdius etiam alterum est, quod tamen ex ipso Andocide probari possit, si modo quis τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν studeat; nempe insontem videri eum, in cuius domo mysteria profanantur. Etenim ne Pulytio quidem inter eos quos Andromachus indicavit recensetur. Verum, si quis non quidvis explicare atque defendere potius, quam sobria atque sana mente id, quod legitur, interpretari sibi propositum habet, ex locis a me allatis (§ 13^a et § 16^a) hoc discet: primum fugisse Charmidem: nam profecto levior etiam suspicio iusta illis temporibus erat fugiendi causa, quam si quis insimularetur domum suam impiae mysteriorum derisioni praebuisse. Deinde ea quae orator de Pulytione et Alcibiade § 13^a narrat ex eadem, quam supra indicavi, incuria profluxisse; vera esse quae in Thessali εἰςαγγελίᾳ leguntur apud Plutarchum in Alc. c. 22; locumque Andocideum tam esse suspicionis plenum ut, si quis tamen duplicem illam subscriptionem probet, quam Droysenus [1]), plaudentibus viris doctis, excogitavit, is, si recte rem perspicias, uno *Isocratis* testimonio nitatur [2]).

Sed quod ad Charmidem attinet, invitus homonymiae argumentum probem, prioremque illum e. gr. Glauconis filium fuisse concedam. Quamquam non levis est incuria, in altero

---

[1]) Mus. Rhen. IV. p. 38.

[2]) De Pulytione hoc quoque observandum est, cum aliqua probabilitate e fragmento Pherecratis apud Photium (Meineke II, 278) effici posse, ei impietatem non impune abiisse. Certe aliquo casu afflictum esse hominem apparet e verbis

οὐχ ὁρᾷς τὴν οἰκίαν
τὴν Πουλυτίωνος κειμένην ὑπώβολον

Cf. Müller Strübing: Protagorea, in Fleckeiseni Annalibus vol. 121 p. 99.

patris nomen addere, in altero omittere, praesertim quum alterius Charmidis causa alia etiam difficultate prematur, nota quidem omnibus, quam tamen nemo, quantum scio data opera tractaverit. Plutarchus nempe non Charmidem sed Timaeum affirmat Androcidi suasisse, ut civitatem formidine liberaret. Hic equidem neque credere possum, Plutarchum hoc nomen non in suo fonte repperisse, sed de suo finxisse, neque ullam causam video, cur in tali re Andocidi fidem habeamus. Non enim in nomine tantum Andocides a Plutarcho discrepat, sed et tota consilii illius narratio plane opposita est iis, quae apud Thucydidem et Plutarchum leguntur. Quae enim Thucydides et Plutarchus habent eodem fere redeunt: Andocidi suasisse virum quendam, qui erat in eadem custodia, ut paucos, sive vere sive falso indicaret, ceteros periculo liberaret. Quis non statim videt, quanti interfuerit Andocidis, in iudicio id ipsum vel apertissimo mendacio negare, seque demonstrare non alios denunciasse, quam quos sciret maxime in culpa esse. Atqui Andocidi suadere *εἴτε καὶ τὰ ὄντα μηνῦσαι, εἴτε καὶ μή* tantum alienus quidam et antea ignotus poterat: ut ergo aliqua cum veri specie possit probare, se illo indicio illi gessisse morem, qui se de patris, affinium, amicorum periculo admonuisset, seque prae ceteris suspectum esse non vulgi rumoribus inaudivisset, sed ideo sciret, quod suam cum Euphileto nosset familiaritatem, ut hoc inquam probare possit, pro Timaeo isto fratrem suum amitinum Charmidem substituit. Quae praeterea in ista Andocidis de suo indicio narratione insint vulnera, mox videbimus.

§ 35a haec leguntur: *Τεῦκρος ἐπὶ τοῖς Ἑρμαῖς ἐμήνυσε... Φερεκλέα... Μέλητον.* Eorum, quos Teucer denunciavit, alii fugiunt alii capitale supplicium patiuntur (quod, ut supra demonstravi, cum Thucydide certat). Atqui Meletus iam ab

Andromacho indicatus erat et absens capite damnatus (§ 13a). Hic ergo interea, ut iterum fugam capessere posset, aut, si forte, capite plecti, in urbem redierat. Non minus absurda est Phereclis causa; hic enim, quum iam a Teucro esset indicatus, atque igitur aut necatus esset, aut abiisset in exilium, iterum a servo suo indicatur (§ 17a). Nisi ergo et hic, quum domi suae impium illud facinus fieri passus esset, tamen omni suspitione atque periculo liber esset, necesse est eundem bis in exilium abiisse; nam nisi *solus* Leogoras, a Lydo indicatus, in urbe remanserit, tota disputatio quae §§ 19a sq. legitur irrita est. Viden quam saepe homonymiae argumentum, si semel eo usus sis, eodem iure adhiberi possit? Quod si semel videris, quam sit fallax, concedes mihi, ut opinor, ne inscriptionem quidem a Kirchhoffio editam multum Andocidi prodesse [1]). Namque summus ille vir, quum sibi videatur praeclare Andocidi subvenisse, erutis e vetusto lapide nominibus quibusdam hominum, quorum bona sunt publicata, quum iidem ab Andocide inter impietatis reos recenseantur, tamen in Panaetio haeret et ad homonymiae praesidium confugit, scilicet ut Andocidis § 52am cum § 13a reducat in gratiam. In illa enim orator affirmat, Panaetium cum tribus aliis a se uno esse indicatos, in hac Panaetium ab Andromacho denunciatum esse narrat.

His, quoniam sunt ex eodem genere, alias quasdam observationes addam, quibus demonstrem quam sit in rebus historicis sublesta Andocidis fides. Pleraeque autem earum non

---

1) Kirchhoff: über eine Urkunde der Poleten in Fleckeiseni Annalibus vol. 81 p. 238—255, cll. cum eiusdem Andocideis in Herme vol. I p. 14.

magis novae sunt quam ea, quae in praecedentibus de viris, quorum apud Andocidem nomina leguntur, annotavi, sed multo maiorem earum partem iam ante me Naberus aliique observarunt. Quoniam vero mihi id demonstrare proposui, in legendo et explicando Thucydide nihil nos morari oportere Andocidis auctoritatem, non inutile me opus facere arbitror si, quantum fieri possit, omnia ea colligam et sub unum dem conspectum, quae apud oratorem fide indigna videantur.

Verba Thucydidis sunt: *μεγάλοις μηνύτροις οὗτοί (οἱ Ἑρμοκοπίδαι) τε ἐζητοῦντο, καὶ προςέτι ἐψηφίσαντο καὶ εἴτις ἄλλο τι οἶδεν ἀσέβημα γεγενημένον μηνύειν ἀδεῶς τὸν βουλόμενον καὶ ξένων καὶ ἀστῶν καὶ δούλων.* *In universum* ergo a populo impunitas promittebatur, si quis de quavis admissa impietate aliquid edoceret, estque ea res per se satis probabilis. Quid autem Andocides? Andromacho servo impunitatem decernunt *οἱ μεμυημένοι* (antecedunt enim § 12ª verbis *ἐπεὶ δ' ἐψηφίσαντο αὐτῷ τὴν ἄδειαν* haec: *ἔδοξε τοῖς πρυτάνεσι τοὺς ἀμυήτους μεταστήσασθαι*), et Teucer (§ 15ª) non nisi impetrata a senatu impunitate (*ἄδειαν εὑρόμενος*) *ἀπογράφει τοὺς μεθ' ἑαυτοῦ.* Quam inutile esset decretum populi, si in singulis causis iterum de eo esset decernendum! Et quid Andromacho impunitate opus erat, qui tantummodo adfuisset, sed nihil fecisset, quod poena dignum esset? Hic mihi illud argumentum opponi potest, ipsi quoque Andocidi, ut ipse ait in oratione de reditu suo § 23ª, impunitatem ex eo decreto datam esse, quod suasisset Menippus, neque fieri posse ut orator ibi quoque a vero aberret, quippe qui statim illud decretum recitari iubeat. Sed interest aliquid inter Teucri causam et Andocidis. Ille sponte sua Athenas redierat, et, quum nulla de eo esset vel delatio vel suspicio, se et alios nonnullos indicaverat. Si illi ergo peculiari impunitatis decreto opus esset,

omnino nullam vim haberet decretum, quale est apud Thucydidem. At Andocides non solum iam ab alio denunciatus erat, non solum in vincula coniectus, sed et *αἰτιώτατος ἐδόκει εἶναι*, ita ut ei sive taceret, sive confiteretur, certissima morte esset pereundum. Non mirum igitur, illum peculiari lege impetravisse impunitatem, si non sontes potius quam insontes indicasset.

Verba illius decreti secundum Thucydidem erant: *εἴ τίς τι οἶδεν ἄλλο ἀσέβημα γεγενημένον μηνύειν ἀδεῶς τὸν βουλόμενον.* Neque credo, si revera homines ad indicandum adhortari voluerunt Athenienses, eos alia addidisse. At, si fides Andocidi (§ 20ª), ita scripserunt: *εἰ μὲν τἀληθῆ μηνύσειέ τις εἶναι τὴν ἄδειαν, εἰ δὲ τὰ ψευδῆ τεθνάναι.* Praeclarum hercle decretum, quodque magis credas homines deterruisse, quam ad indicandum incitasse. Quis credat ita decrevisse Athenienses, quum facinoris obscuritate anxii essent ac perturbati, et quocumque tandem modo de auctoribus fieri vellent certiores?

§ 22ª. Omnia illa, quae orator de Speusippo patrisque sui in eum actione tradit, atra premuntur caligine. Nihil tamen in iis reperitur absurdius quam quod nunc proferam. „Si verum esset" orator ait „quod inimici mei dixerunt, me patrem meum indicavisse, Speusippus in ea *παρανόμων γραφῇ* me ita esset allocutus: „*ἔλεγχε σὺ τὸν πατέρα ἢ οὐκ ἔστι σοι ἄδεια.*" Credo, si insanus esset Speusippus. Andocides enim non erat inter eos, quos Lydus denunciaverat. Quid ergo ei cum impunitate? Inimici nonnisi id contendunt Andocidem patrem suum indicasse, minime ipsum quoque de se confessum esse. Respondet reus: „non a me, sed a Lydo Phereclis servo pater meus indicatus est." Ergo si ita se res haberet, ut affirmant adversarii, Andocides, mendacii

convictus ψευδομαρτυριῶν crimine peti poterat, impunitate ei opus non erat.

Quod attinet ad praemia pro indiciis proposita, praeter istud Ἀνδροκλῆς ὑπὲρ τῆς βουλῆς, quod nemo intelligit neque intellecturus est, orator docet § 27ª, praemia ista, pridem proposita, iudicio habito data esse Andromacho et Teucro. Verum Andromachus nonnisi de mysteriis profanatis indicaverat: illi tamen maius praemium solvitur, quum apud Thucydidem nulla sit mentio praemiorum, quae iis proponerentur, qui de aliis impietatibus essent denunciaturi. Verba enim eius haec sunt: *καὶ τοὺς δράσαντας ᾔδειν οὐδεὶς ἀλλὰ μεγάλοις μηνύτροις οὗτοί τε ἐζητοῦντο, καὶ προςέτι ἐψηφίσαντο καὶ εἴ τις ἄλλο τι οἶδεν ἀσέβημα γεγενημένον κτἑ.* Aut igitur Thucydides parum accurate scribit, aut omnia susque deque habet Andocides. Ecce subito istae semel datae et adnumeratae centum minae § 41ª sq. revertuntur. Inducitur enim Dioclides senatui narrans, sibi ita cum Andocide eiusque sodalibus convenisse, ut intra mensis spatium sibi pro praemio centum minarum, publice proposito, duo talenta essent daturi, se autem, ab Andocide destitutum, nunc denuntiaturum in senatum venire. Credo quemque hoc ita mecum esse explicaturum, Dioclidem, praemio duorum talentorum fraudatum, nunc saltem illas centum minas amittere nolle. An tam probum eum fuisse credas, ut illud constituerit tempus, quo elapso iam praemia illa, publice proposita, essent dissoluta. Vel si, ut affirmat Andocides, prorsus falsa fuit eius narratio, tamen hominem tam parum avarum tamque ab omni cupiditate remotum fuisse arbitraris, ut cum capitis sui periculo totum istud mendacium finxerit, quum iam nulla spes lucri superesset. Aut ergo orator in illa de Dioclide narratione parum accurate versatus est, aut

in eo peccavit, quod eius nomen omisit inter eos, qui de praemiis publice propositis certarunt.

Leviora sunt quae §§ 45ª et 51ª observavi, non tamen hoc loco prorsus omittenda. In altera legitur: Βοιωτοὶ δὲ πεπυσμένοι τὰ πράγματα ἐπὶ τοῖς ὁρίοις ἦσαν ἐξεστρατευμένοι, quum Thucydides hoc habeat: *καὶ γάρ τις καὶ στρατιὰ Λακεδαιμονίων ἔτυχε μεχρὶ Ἰσθμοῦ παρελθοῦσα πρὸς Βοιωτούς τι πράσσοντες* [1]).

In altera: *ἔτι δὲ (ἔσωζον) τριακοσίους Ἀθηναίων μέλλοντας ἀδίκως ἀπολεῖσθαι.* At ex indicio Dioclidis non plures quam 42 in vinculis erant. Redit idem § 58ª. Est hoc egregium exemplum, quam nihili orator faciat veritatem, dummodo moveat auditores.

Multo gravius est peccatum quod ad Andocidis confessionem pertinet. In praecedentibus narraverat, eos, qui a Teucro, quasi mysteria profanassent, essent indicati, omnes fuga necem vitasse, eos, quos Hermas violasse insimulasset, partim in exilium iisse, partim comprehensos esse et necatos (§§ 18ª et 34ª). Iam hoc satis mirum, quum haud dubie ***eodem tempore*** de utrisque denunciaverit Teucer. Qui ex Teucri indicio comprehensi erant iam *ante Dioclidem* necati erant [2]), vid. § 67ª πρὶν ἡμᾶς ὑπὸ Διοκλείδου δεθῆναι. Andocides tandem praeter eos, quos iam Teucer nominaverat, quatuor viros indicat, et hi quoque supplicium effugiunt (ib.). Nemo

---

[1]) Praestat credo discrimen inter utrumque scriptorem notare, quam Goetzii rationem sequi qui, Thucydideo loco citato, ex Andocide addit: „Die Boeoter standen ebenfalls an der Grenze, natürlich der Spartaner wegen." Nam cur aut Thucydides Boeotos, aut Andocides Spartanos omittit?

[2]) Hoc neglexit, et ita graviter errat Blassius, qui in nobili libro „Die Attische Beredsamkeit" p. 274 Not. 1. de hoc discrimine inter Andocidem et Thucydidem ita disserit: „Doch da Andocides auch solche ausserdem nannte die von Teucros schon angezeigt waren, so ist dieser Wiederspruch nur scheinbar."

ergo neque post neque propter Andocidis indicium morte poenas dedit. Quod adverso fronte certat cum eo, quod habet Thucydides c. 60°: τοὺς καταιτιαθέντας κρίσεις ποιήσαντες τοὺς μὲν ἀπέκτειναν κτἑ.

His iam ita expositis, non possum non attingere quaestionem, iam a Nabero tractatam, utrum illa oratio, quae tot tamque aperta mendacia contineat, spuria videatur an genuina. Cui quaestioni quo melius accuratiusque respondeam, hoc mihi praemonendum est, externa, quae vocantur, argumenta contra Naberum nulladum esse prolata, quibus quin genuina sit oratio extra dubitationem ponatur. Magnum me dicere sentio, namque video, omnibus philologis et historicis persuasissimum esse, a Kirchhoffio certissimis argumentis epigraphicis orationem Andocidi esse vindicatam. Utramque ergo illarum inscriptionum parum in nostra causa valere demonstrare conabor. De priore brevis esse possum. Ibi enim Kirchhoffius ex vetusto lapide quinque nomina eruit virorum quorum bona sunt publicata [1]). Illos contra Rangaben neque post proelium ad Aegos flumen, neque post proelium ad Arginusas damnatos esse liquido demonstrat. Neque est cur in eo quoque eum verum vidisse negemus, damnatos eos esse in iudiciis, quae anno 415 de re sacra sunt habita. Nomina enim haec sunt: Axiochus Alcibiadis f., Adimantus Leucolophidis f., Euphiletus Timothei f., Panaetius, Oeonias Oeoniae f. Eadem in oratione de mysteriis reperiuntur, ubi Axiochus et Adimantus dicuntur indicati ab Agariste, Euphiletus a Teucro, Panaetius et Oeonias ab Andromacho. (Oeonias enim non po-

[1]) Kirchhoff über eine Urkunde der Poleten in Fleckeiseni Annalibus vol. 81 p. 238—255.

test esse alius quam Ionias in oratione). Ille autem in nominibus consensus quid de orationis auctore probat? Satis enim demonstravimus in iis, quae de suis personis narrat, oratorem ridiculum in modum aut ipsum sibi obloqui, aut ea narrare quae omnino fieri numquam potuerunt. Sic forte fortuna inter quinque illos viros unus est Panaetius, de quo orator inter se repugnantia narrat, quae nonnisi homonymiae ope possunt reconciliari. Si quis ergo hoc putat esse idoneum argumentum ad orationem ab Andocide abiudicandam, ei demonstres opus est, vera esse et inter se non certare, quae de hominibus narrat, non tantum vera esse nomina. Nam quis credat, vel infimae aetatis impostorem tam fuisse ineptum, ut ista nomina de suo fingeret?

Graviora primo obtutu videntur, quae Vir Clarissimus de Eucle τῷ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου κήρυκι disputavit; sed illi soli, qui, quae de eo in Herme [1]) scripsit, legerit, ignoret autem, quae idem sex annis ante in Philologo [2]) publici iuris fecerat. Inscriptio, de qua in utraque dissertatione agit, huiuscemodi est: Eucli cuidam, bene de republica merito, munus quoddam publicum, pro quo merces ex aerario erat tribuenda, decernitur; apparet hoc e vocabulo (μι)σθοφορίαν. Sequitur in eodem lapide aliud decretum, quo Philocli Euclis filio κήρυκος officium datur. Legitur enim: τὴν κη(ρυκείαν), quibus mox adduntur, ut verisimiliter supplet Kirchhoffius, vocabula: εἶναι τὴν κη(ρυκείαν Φιλοκλεῖ καθάπε)ρ τῷ πατρὶ αὐτοῦ; neque dubitandum est quin paulo supra recte Kirchhoffius ita suppleverit: ἐπειδὴ ἀνὴρ ἀγαθὸς (ἐγένετο ὁ πατὴρ τοῦ Φ)ιλοκλέους περὶ τὸν δῆμον. Utrumque autem decretum

[1]) K. Andocidea, in Herme I p. 1—20.
[2]) in Philologo XV. p. 409.

Vir Clarissimus eiusdem esse anni censet, itaque rem se habere ut Eucles, vixdum illo honore affectus, aut mortuus sit, aut a populo petiverit, ut sibi liceret praeconis munus tradere filio suo. Atque illum annum affirmat fuisse aut Ol. CI, 2 aut Ol. CII, 2, i. e. a. 374 aut 370 a. Chr. n.; idque se „geometrica ratione" probasse et evicisse pro certo habet [1]). Hoc si verum est, orationem de mysteriis non esse Andocidis „geometrice" constat; in ea enim praeco Eucles nominatur, quum aut numquam habita sit, aut habita anno 399 (§ 132[a]).

Iam est res plena suspicionis, si quis id, quod semel geometricis fundamentis nititur, paucis annis post evertit. Hoc tamen Kirchhoffius facit in Herme. Nactus enim Velseni apographon mutatoque nomine phyles, eiusdem anni esse utrumque decretum negat; parum probabile esse affirmat, patrem eodem anno, quo munere donatus est, esse mortuum. Postremo, ut constet orthographia, coniicit, prius decretum secundo explicandi gratia multis post annis esse additum, priusque illud in id temporis intervallum incidere, quod est inter Ol. 94, 2 et Ol. 95, 1 (i. e. 402—399 a Chr.). Qua in re libera est Kirchhoffio coniectura: habebimus enim duo decreta, in quibus phyles, praesidis, scribae nomina leguntur, omittitur tamen archontis nomen, quamquam alterum est decreti auctoritate publica propositum exemplar („die officielle Publication"). Res igitur eo redit, ut eadem inscriptio, quae prius certo certius demonstrabat, nostram orationem supposi-

---

[1]) Haec enim sunt Viri Clarissimi verba: „Die Phyle ist durch diese Combination mit mathematischer Gewissheit bestimmt; es bleibt keine Wahl, da nur eine, die Ἱπποθωντίς, 10 stellen zählt, alle übrigen weniger. Für den Archonten dagegen bleibt die Wahl zwischen Hippodamas, Ol. 101, 2 und Phrasykleides, Ol. 102, 2".

tum opus esse, sex post annis a Kirchhoffio sit adhibita ad eam Andocidi vindicandam. Verum equidem ne prioribus quidem Kirchhoffii argumentis utar. Illa enim decreta in nostra causa *nihil* probare contendo. Nempe, si eadem est Naberi sententia de nostra oratione, quam de oratione *περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου* in Mnemosyne proposuit, oratio de mysteriis in schola Isocratis a discipulo quodam facta erit. Atqui Kirchhoffius docet, praeconis munus in gente Euclis a patre ad filium transiisse per tantam seriem annorum, ut etiam Ol. 123, 2 (286 a. Chr. n.) Eucles quidam Philoclis filius praeco *τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου* reperiatur. Ergo vel post Alexandrum magnum unusquisque rhetor novisse poterat, stante republica Atheniensi praeconem Euclem fuisse.

Haec praemonui, ne gravissimum argumentum ignorare viderer; minime vero quo cum Nabero faciam. Fateor quidem fuisse tempus, quo et ipse de orationis auctore dubitarem, et Naberi argumentis motus — quorum pars iam se mihi obtulerat, nondum lecta eius dissertatione —, et iis *ἀπορίαις*, quas ipse inter legendum feceram. Verum, quo saepius orationem relegebam, eo magis mihi persuadebatur non posse orationem esse non genuinam. Meum ergo iam erit demonstrare, quomodo ipse mea argumenta refutaverim. Sed ante mihi de duabus reliquis orationibus dicendum erit, quarum causa cum nostra quaestione est coniunctissima. Utriusque enim orationis, quamvis pro tempore et causa multis nominibus ab oratione de mysteriis recedant et differant, tamen si totum spectes, unam eandemque indolem observes necesse est. Satis erit lectorem relegasse ad Blassii librum vere aureum de eloquentia Attica [1]).

---

[1]) Vol. I. pp. 318 en 324.

Iam hoc haud spernendum mihi est praesidium, quod e tribus orationibus, quae Andocidis nomen prae se ferunt, — nam quartam illam non moror —, de una tantum περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης a veteribus criticis dubitatum est, ea autem nostris temporibus gravissimis argumentis Andocidi est vindicata. Inspiciat modo quis quae Cobetus in Variis Lectionibus scripsit p. 556 sqq.; num dubitabit quin Aeschines ex illa oratione sua sumserit? Et quis credat nobilissimum oratorem pueri cuiusdam e schola Isocratea scrinia compilasse? Primus hoc observavit Kruegerus neque omittit Blassius, qui praeterea de tota oratione ita disputat, ut nihil addi possit.

Iam de orationibus περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου et περὶ τῶν μυστηρίων ita disputat Naberus, ut ostendere conetur, non posse utramque orationem esse genuinam, sed vel alterutram vel utramque Andocidis nomen ementiri. Deinde in Mnemosyne ita pergit, ut omnia colligat argumenta, quibus demonstret, orationem de reditu non esse Andocideam. Iam quum antea orationem de mysteriis Andocidi abiudicaverit, rem eo deducit, ut nihil nobis relinquat, quod Andocideum vere dici possit. Mihi vero omnia illa argumenta, quibus Naberus orationem de reditu impugnat, minime videntur eius generis esse, quae causam tanti momenti conficiant. Delibabo e magna copia unum alterumque.

„Absurdum est anno a. Chr. n. 410, nam oratio ante hoc tempus non potest habita esse, fingere sibi auditores, quorum qui quidem provectiores essent recordarentur Pisistrati tyrannidem." Absurdum hoc esse nemo negabit; sed si Isocrates hunc errorem discipulo suo non solum condonavit, verum etiam totam orationem sic probavit, ut ederetur in lucem, quidni Andocides eundem errorem potuit committere? Verum

non sunt verba, quae Graece leguntur, tam absurda quam Latine ea fecit Naberus. Non enim dicit orator, maiores natu *recordari Pisistrati tyrannidem*, sed se in eius temporis historia narranda non posse decipere maiores natu. Scilicet illi, etiamsi non interfuissent, tamen multo melius quam iuniores res tunc gestas scire poterant, utpote qui patres suos vel avos de iis narrantes audivissent.

Quod attinet ad artem oratoriam, sunt quae Nabero indignissima videantur oratore. Ita quae § 24^{a} leguntur de corpore et animo, insani cuiusdam deliramentis similiora quam argumentis esse dicit. De loci absurditate non agam, sed hoc adico, discipulum illum Isocratis haud dubie magistro suo admodum fuisse probatum, siquidem eius opuscula non in umbra scholae delituerunt sed in lucem prodierunt. Non ergo Isocrati visum esse in his quidquam inesse „deliramenti simile," neque doctis grammaticis, qui illum personatum Andocidem, nil fraudis suspicantes, in canonem τῶν δέκα ῥητόρων receperunt. Profecto egregie ille adolescens oratoris in foro Attico partes sustinere sciebat! Neque quidquam attinet, utrum nostrae aetatis hominibus arguta illa ratiocinatio absurda videatur necne; hoc enim constat, qui orationem scripsit, admodum sibi in isto flosculo addendo placuisse, neque dubitasse, quin eo lectores vel auditores haud leviter moturus esset. Atqui, si ita iudicare potuit discipulus Isocrati probatissimus, qui vel doctis grammaticis imposuerit, quid obstat, quominus et Andocidi ita visum esse censeamus, homini in foro parum versato, oratori parum exercitato, quippe qui per totam vitam ter tantum vel quater, idque necessitate coactus, causam oraverit?

Magnum praeterea numerum locorum colligit Naberus quibus ostendat, auctorem orationis Grammaticae graecae fuisse

imperitissimum. Quid ergo? Arbitremurne Isocratem probasse meditationem, in qua legerentur vocabula in Attico sermone non ferenda, in qua optativus pro indicativo positus esset, cuius, quod maximum est, nonnulli loci omni sensu carerent? Hercle nisi Naberus sibi in Andocide eam rationem proposuisset, quam ipse verbis „in quovis alio scriptore glossema iudicarem" indicat, facili emendatione, quod est viri sagacissimi in talibus rebus ingenium, istarum ineptiarum maiorem partem sustulissit! Accedit, quod in eorum errorum, ut Nabero videntur, numero, nonnulla reperiuntur, quae optime possunt defendi. Sic equidem non video, quare in his *τουτὶ τοίνυν τὸ μέγα καὶ δεινὸν πάρεστιν ὑμῖν ὁρᾶν τοὺς μὲν ἤδη πράττοντας τοὺς δὲ τάχα μέλλοντας* verba *μέγα καὶ δεινὸν* orator non potuerit ipse invenire, sed ea ex *Homerico σάκος μέγα τε δεινόν τε* sumserit. Ad § 7^{am} Naberus annotat: „quo modo iudices intelligere potuerunt, qui homines per istos *τοὺς ταῦτα ποιήσαντας*, indicarentur?" Non minus, credo, intellexerunt, quam iudices, ad quos oratio de mysteriis habita est, eadem verba § 61^{a}, ubi Meletus et Euphiletus ita inducuntur loquentes: *γεγένηται ὦ 'Ανδοκίδη καὶ πέπρακται ἡμῖν ταῦτα.* Quod improbat Naberus: *τά ἴδια σφῶν αὐτῶν ἄμεινον ἂν φέρεσθαι*, id fere dixerim frequens esse in sermone Attico. Si exempla conquirere vellem, sat scio me haud spernendum numerum locorum afferre posse; nunc unus sufficiat qui tamen est multorum instar: Thuc. V, 15: *οἱ 'Αθηναῖοι οὐκ ἤθελον εὖ φερόμενοι ἐπὶ τῇ ἴσῃ καταλύεσθαι.*

Et sunt fere eiusdem generis omnia. Quid tandem illud est, quo Naberus demonstrat, non posse utramque orationem genuinam esse? Unus locus ex oratione de reditu, quem tamen ipse ante, ut sibi videtur emendavit, ut mihi corrupit. Legitur § 7^{a}: *ὥστε ἀνάγκην μοι γενέσθαι δυοῖν κακοῖν τοῖν*

μεγίστοιν θάτερον ἑλέσθαι, ἢ μὴ βουληθέντι κατειπεῖν τοὺς ταῦτα ποιήσαντας οὐ περὶ ἐμοῦ μόνου ὀρρωδεῖν εἴ τι ἔδει παθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸν πατέρα οὐδὲν ἀδικοῦντα σὺν ἐμαυτῷ ἀποκτεῖναι, ἢ κατειπόντι αὐτὸν μὲν ἀφεθέντα μὴ τεθνάναι τοῦ δὲ ἐμαυτοῦ πατρὸς μὴ φονέα γενέσθαι. „Non intelligo" ait „cur hoc tam miserum Andocidi visum sit. Novit Hermocopidarum nomina, novit et alios per calumniam a Dioclide indicatos esse et Leogoram; itaque denunciat reos et servat tum patrem tum ceteros cognatos. Quomodo hoc cuiquam dedecori esse potest?" Et post pauca „Quae est ista oppositio? Eo redactus fui, ut aut mihi ipsi simul cum patre pereundum esset, aut me ipsum servarem et patrem ex ignominiosa morte eriperem. In tali discrimine optio non adeo difficilis est, opinor. Hae difficultates superari non possunt nisi, *μὴ* eiecto, legamus, *τοῦ δ'ἐμαυτοῦ πατρὸς φονέα γενέσθαι.*"

Hic mihi rogare licet: Quae est ista oppositio? Si non denunciarem reos, patrem perderem, si denunciarem, perderem? Non est in tali discrimine difficilis optio, utra lectio sit absurdior. Nempe quod vulgo legitur rectissime sese habet. In oratione enim de reditu Andocides ipse fatetur se fuisse in Hermocopidarum numero: hoc est illud *ἐξαμαρτάνειν* quod Naberus coniectura sua eo detorquere vult, ut significet Andocidem patrem suum denunciasse, quod, ut ipse vidit Naberus, ab omnibus scriptoribus abhorret, qui huius temporis historiam scripserunt, cum uno pseudo-Plutarcho convenit. Totius loci haec est sententia: iuvenili temeritate mea amicorumque meorum persuasionibus illud facinus commisi, quod me coëgit, ex duabus tristissimus rebus alteram eligere, ut aut tacendo patrem perderem, aut turpi delatione me patremque meum servarem. Quam egregie hoc convenit cum

his locis ex oratione de mysteriis, ubi eodem proposito dilemmata (§ § 58^{a} sq.) haec addit § 60^{a}: *εὕρισκον τῶν παρόντων κακῶν ταῦτα ἐλάχιστα εἶναι εἰπεῖν τὰ γενόμενα*, et § 67^{a}: *τῆς μὲν τύχης ἢ ἐχρησάμην δικαίως ἂν ὑπὸ πάντων ἐλεηθείην.* Unum hoc interest, quod decem annis post orator illam fabulam de osse confracto finxit, seque suis manibus Hermas mutilavisse negat; quod si cui in oratore Attico nimis impudens videtur mendacium, ille non satis observat, quid sit verba facere ad plebeculam in iudicio sedentem.

Transeo tandem ad orationem de mysteriis, in qua ita causam meam agam ut accurate orationis exponam argumentum et dispositionem; ea enim non semper ab omnibus recte observata est. Deinde ad singulas partes annotabo, quae se mihi et fortasse aliis obtulerint difficultates, easque quantum potero diluam.

Iam ex his verbis (§ 10^{a}): *περὶ αὐτῆς τῆς αἰτίας, ὅθενπερ ἡ ἔνδειξις ἐγένετο περὶ τῶν μυστηρίων, ὡς οὔτ' ἐμοὶ ἠσέβηται οὔτε μεμήνυται οὔθ' ὡμολόγηται*, apparet, adversarios Andocidem iudicio *ἐνδείξεως* aggressos esse, i. e. eius nomen detulisse, quod iure quodam civium Atticorum usus esset, quo ei utpote *ἀτίμῳ* uti non liceret. Quae deinde in oratione leguntur de psephismate Isotimidis, de mysteriis, de tota re sacra, hanc docent fuisse subscriptionis formulam: *ἀδικεῖ ὁ Ἀνδοκίδης εἰσιὼν εἰς τὰ ἱερὰ ἄτιμος ὤν.*

Quemadmodum autem in oratoribus Atticis semper est observandum, quid intersit inter *διώκειν* et *κατηγορεῖν*, ita et hic probe inter se distinguenda sunt *ἐνδεικνύναι* et *κατηγορεῖν.* Iam, ut fieri solet, *οἱ κατήγοροι περὶ ἄλλου μὲν ἐνέδειξαν περὶ ἄλλου δὲ κατηγόρησαν.* Ita, ut docet § 71^{a}, prae ceteris Isotimidis psephismatis ope usi sunt, ex quo *εἴργονται τῶν*

ἱερῶν οἱ ἀσεβήσαντες καὶ ὁμολογήσαντες. Quod quum in tota accusatione primarium esset, orator primo docet, mysteriorum profanationem ad se omnino non pertinere, atque recensendis nominibus eorum qui vel denunciassent, vel denunciati essent, vel de praemiis pro indicio propositis certassent, se ostendit omni culpa esse immunem. Nec solum adversarii in eo limites *ἐνδείξεως* suae transgressi erant, quod Isotimidis psephismate usi erant, sed et in orationibus permulta eius facinora memoraverant, quae lege quidem nulla vindicari poterant, quorum tamen mentio eo necessario tendebat, ut reum iudicibus redderent suspectum atque invisum. Sic, quum de mysteriis agerent, hoc quoque dixerant, Andocidem patrem suum indicasse. Respondet orator: non a me, verum a Lydo Phereclis filio est denunciatus, ego vero patri persuasi ut in urbe remaneret.

Haec omnia tractantur ea parte, quae est inter § 11^{am} et 33^{am}.

Rogare subiit, quid esset, quod haec oratio ad initiatos tantum iudices haberetur (§ 31^{a}): nihil enim in ea legitur quod in vulgus efferre nefas esset. Haec autem eius rei causa videtur, quod, quum magna quaestionis pars de mysteriis esset, fieri poterat ut *testibus* quaedam dicenda essent, quae non nisi ab initiatis fas esset audiri. Fortasse et accusatores eiusmodi quaedam protulerant.

Alia *ἀπορία* haec erat: Quum constaret de *Hermis mutilatis* et indicasse Andocidem et confessum esse, quumque eius *in mysteriis profanandis* nullae, quantum novimus, fuissent partes, num verisimile est orationem adversariorum praecipue in mysteriorum crimine fuisse versatam? Res ita intelligi potest, ut accusatores fingas id fecisse, quod dicit Plutarchus: *τοῖς περὶ τοὺς Ἑρμᾶς ὑβρίσμασι καὶ τὰ μυστικὰ*

συνέπλεκον. Neque quidquam obstat, quominus Andocidem putemus callide ita adversariorum verbis abusum esse, ut id, quod optime refellere poterat, accusationis primariam partem fuisse mentiretur.

Non omiserunt adversarii ea in medium proferre, quae post Dioclidis denunciationem gesta sunt, sed et famoso illo indicio usi sunt, ut reum demonstrarent esse hominem nequam et iudicum odio dignissimum. Quid ea orationis suae parte contenderint, ipse Andocides indicat § 54[a]: ὡς ἄρα ἐγὼ ἐμήνυσα κατὰ τῶν ἑταίρων τῶν ἐμαυτοῦ ὅπως ἐκεῖνοι μὲν ἀπόλοιντο, ἐγὼ δὲ σωθείην.

Respondet orator, quod et in mysteriorum crimine fecit, ita ut totam rem ἐξ ἀρχῆς denarret (§ 34), et neminem sua culpa periisse demonstret, eodem quo in mysteriorum crimine argumento usus (§§ 25, 26, 55). De his agitur a § 34[a] usque ad § 70[am].

Supra iam admonui, quae in nostra oratione legitur narratiuncula de Euphileto et osse confracto, de ea prorsus taceri in oratione secunda. Sed si quis reputabit quantum mutata esset oratoris condicio, quum orationem de mysteriis haberet, ab ea qua erat, quum de reditu suo verba faceret, non nimis hanc differentiam mirabitur. Etenim Andocides, quum de reditu orationem haberet, iam semel et iterum a civibus suus repulsus, denuo reditum in urbem temptabat. Submisse igitur et, fere dicas, flebiliter rogat atque orat, ut sibi impunitate antea decreta atque concessa frui liceat. Nec quemquam fugere potest, quam sit tota oratio verbis precativis concepta. Nihil ergo de culpa sua detrahere conatur, sed quidquid fecit se temeritate iuvenili fecisse demonstrat, et ad

iudicum misericordiam provocat. Verum ab ea animi demissione quam remota est oratio de mysteriis. Restitutus enim post trigintavirorum dominationem, quum iam tres annos securus in urbe vixisset, tandem ab inimicis ἐνδείξει illa petitur. Habet quae illi respondeat atque opponat, et quod maximum est, iam sedecim anni post Hermarum flagitium erant elapsi, et ardor civium sedatus erat. Cum fiducia igitur et capite erecto se criminibus ab inimicis in se congestis purgat. Quid mirum igitur, in ea oratione audere eum id fingere et mentiri, quod sedecim annis ante ausus non erat, si iam est illud mendacium; nam fieri potest ut, quum misericordia civium se restitutum iri speraret, non censeret e sua re esse quidquam de sua confessione demere.

Video multos in eo haerere quod, quum Plutarchus perspicue exponat, quomodo Dioclides sit convictus mendacii, nempe eo, quod quum esset νουμηνία, se Hermocopidas ad lunae lumen agnovisse dixisset, de eo nihil habeat Andocides. Itaque totum illud in dubium vocat Grotius, negatque eo tempore interlunium fuisse. Contra Naberus, Plutarcho quum fidem habeat, eo quoque argumento utitur, quo Andocidem redarguat. Equidem cum neutro facere possum. Non enim video, tantum inter oratorem et historicum interesse. Permultum enim abest, ut de ea re taceat orator; quod contra est, quum bis ponat illud πανσέληνον et πρὸς τὴν σελήνην, et paulo ante auditores valde admoneat ut animum attendant, eo satis ostendit sibi eam rem haud parvi momenti videri.

Quae inesset in Dioclidis indicio contradictio, auditores fugere non poterat, utpote qui probe nossent, quo tempore solvendae essent αἱ ἀποφοραί. Non ergo Andocidi opus erat narrare, post suam denunciationem eo quoque argumento

mendacii esse convictum Dioclidem; iam enim satis de eo dixerat. Sin dixisset ita iam statim Dioclidis perfidiam apparuisse, tum demum mihi a Plutarcho recedere videretur, qui hoc dicit, primo tempore maiorem partem civium ad eam contradictionem non attendisse: *θόρυβον μὲν παρέσχε τοῖς νοῦν ἔχουσι κτἑ.* Et eo tempore quotusquisque *νοῦν εἶχε*!

Sequitur orationis ea pars, qua demonstratur, adversarios *ἐνδεῖξαι μὲν κατὰ νόμον κείμενον, κατηγορῆσαι δὲ κατὰ ψήφισμα ἄκυρον.* Ea pars sic est distributa:

Isotimidis *ψήφισμα* templis arcet omnes, qui *ἠσέβησαν ἢ ὡμολόγησαν*; id ego non solum non feci, sed et totum istud *ψήφισμα* irritum est, et nullam vim habet. Patroclidis enim lege *τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ἐποιήσατε* (§ 70^{a}—78^{am}).

Eiectis trigintaviris, quum populus duce Thrasybulo in urbem rediisset, inter vos dedistis iusiurandum *μὴ μνησικακήσειν.* § 80^{a}.

Creastis *νομοθέτας*, qui draconis et Solonis legum alias delerent, alias confirmarent. Tisameni psephisma. § 82^{a}.

Illo codice perfecto statuistis, ut nullae *ἄγραφοι νόμοι* vim haberent. Multo minus ergo *ἀγράφοις ψηφίσμασι* uti licet. 85^{a}—87^{am}.

Statuistis, ut in rebus privatis tantummodo decreta liberae reipublicae valerent, in rebus publicis non nisi ea, quae post Euclidem facta essent, et cavistis ne aut *ψήφισμα* lege maiorem vim haberet, aut ulla ferrentur privilegia. § 88^{a} sq.

Quae deinde secuta est oblivionis lex, ea vel trigintaviris certa conditione uti licet. § 90^{a} sq.

His expositis orator ita pergit:

Nova illa instituta omnia tam salutaria sunt, ut etiam viris quales sunt mei adversarii prosint: Cephisio, qui quod publice debebat non solvit, et igitur ex antiquis legibus *ἀτιμίᾳ* erat plectendus (§ 92^{a} sq.); Meleto, qui Leontem occidit, cuius necem vindicare et ulcisci propter oblivionis legem liberis eius non licet, (§ 94^{a}); Epichari, qui sub trigintavirorum dominatione magistratum gessit, et ergo, si etiamnunc valeret lex Solonis et Demophanti *ψήφισμα*, impune ab unoquoque poterat occidi. Sic se res haberet, si non latae essent novae illae leges: nunc vero adversarii mei se iactant, quasi etiam in urbe regnarent trigintaviri. § 92^{a}—102^{am}.

Has autem novas leges nisi vindicabitis, improbis delatorum artibus viam aperietis, et actum erit de civium otio et securitate. Et optime se illae leges habent, quae civium spectant concordiam: testis sit historia, testes sint proavi et mei et vestri omnium. § 103^{a}—109^{am}.

In hac parte, quae est a § 70^{a} usque ad 110^{am}, insunt quaedam, quae a viris doctis sunt reprehensa.

Lubentissime assentior Droyseno minori, in dissertatione de Demophanti, Tisameni et Patroclidis populi scitc statuenti § 96^{a} post verba *καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον τὸν ἐκ τῆς στήλης* nullo iure Demophanti psephisma legi; scribam enim, quem Andocides recitare iussit, legem Solonis recitasse. Sed minime mihi verum vidisse idem vir doctus videtur haec addens: „Quod eam attulit Epicharem ut accusaret, maximae Andocidis levitatis est testimonium; nam oblivionis lege, ne quis rerum ante actarum accusaretur neve multaretur, prorsus neglecta ad eam Solonis legem, quam amnestia facta ad tempus abrogaverunt, redit; neque Demophanti ipsius psephisma, quod idem amnestia abrogatum est, neque restitutum, quod ad res ante popularium reditum gestas non spectabat, afferre licuit Andocidi."

Si quis modo inspexerit, quemadmodum supra partes orationis disposuerim, viderítque quo haec in Epicharem loco dicta sint, illi statim apparebit, quam iniqua sit ea reprehensio. Legem enim Solonis et Demophanti populiscitum sublata esse, minime obliviscitur orator. Sed hoc dicit: quam iniquissime est comparatum, ut mihi non permittatur oblivionis lege frui, quum iste meus adversarius Epichares, homo omnium turpissimus, propter eandem legem omni poena facinorum suorum non solum sit immunis, sed et probissimis hominibus exhibeat molestias, qui, si modo legibus ante Euclidem archontem uti liceret, dignas suae nequitiae poenas daret. Eadem est causa Cephisii et Meleti.

Non tam facile solvitur alia difficultas. Nempe nemo orationem legere potest, quin roget: omnia illa, quae leguntur a § 73ª usque ad § 80ᵃᵐ, quo tandem spectant? Ea enim, quae post ea sequuntur, satis superque demonstrant, Isotimidis populiscitum novis legibus esse abrogatum. Sed quid sibi vult illud Patroclidis decretum? Rectissime Blassius p. 304ª: „Patroclidis ψήφισμα recitatur, et varia genera capite deminutorum recensentur, hanc scilicet ob causam, ut demonstret suam quoque ἀτιμίαν desiisse; quamquam mirandum est ipsam illam argumentationem desiderari.“ Et post pauca: „non intelligo cur orator, quae sint genera capite deminutorum, aut omnino exponat, aut certe cur tantis ambagibus exponat.“ Fateor ne mihi quidem, quocunque me verterim, contigisse, ut probabili ratione explicarem, quod esset huius loci consilium. Sed unum, quantulumcumque est, hic ponam. Eo loco, ubi orator queritur, adversarios suos se novarum legum commodis spoliare velle, quibus ipsi, quum veteribus legibus obnoxii sint, fruantur, Cephisium dicit,

quamquam debitum aerario non solverit, nunc poena, qua esset plectendus, liberum esse. Explicatur hoc his verbis e praecedentibus: ἢ ὠνὰς πριάμενοι ἐκ τοῦ δημοσίου μὴ κατέβαλον τὰ χρήματα, quibuscum conferenda: γεγένηται ἀντὶ ἀτίμου συκοφάντης. Et sic saltem longae disputationis brevis pars habet quod eo referatur, quamquam hic quoque multo melius noster omisisset verba: ὅτι τοῖς νόμοις ἐψηφίσασθε ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος χρῆσθαι, nam Patroclidis decretum, quo solo Cephisius defenditur, iam ante Euclidem factum erat. Sed, etiam si ea verba abessent, non opus erat longis illis ambagibus, ut eo modo in Cephisium inveheretur; et praeterea tam absurda sunt fere omnia, quae de ἀτίμοις narrantur, ut non possim credere, ea sic scripsisse Andocidem. Accurate de iis exposuit Naberus; hic indicasse sufficiat quod vel gravissimum est: οἱ στρατιῶται οἷς ὅτι ἔμειναν ἐπὶ τῶν τυράννων ἐν τῇ πόλει. Mihi persuasum est, totum illum locum graviter esse interpolatum, alia excidisse, alia esse addita, quamquam nunc non habeo idonea argumenta quibus vera a falsis discernam.

Praeter eas, quas iam enumeravi, κατηγορίας hac quoque usi sunt adversarii ut demonstrarent, reum hominem esse tam profligatum et perditum, tamque a scelerum suarum poenis praecipitem agi, ut ultro capitis pericula adiret, e quibus tamen eum dii eripuerint „non ut ab exitio servatus, sed ad hoc iudicium reservatus videretur.“ Sic eum in templo Eleusinio deposuisse ἱκετηρίαν, quod qui fecerit eum capital commisisse; sic eum ultro citroque navigasse, ubi deorum irae maxime esset obnoxius. Illud ἱκετηρίας crimen orator in ipsos accusatores retorquet. Postquam enim narravit iam Cephalum docuisse, non esse illud capital, ita pergit: ipse

Callias illam ἱκετηρίαν posuit, quia me indicta causa e medio tollere volebat; oderat enim me quia ei in iudicio de ἐπικλήρῳ molestus fueram. Primum ergo auctor fuit huius ἐνδείξεως; quum hoc periculum videret me sustinere, τὴν ἱκετηρίαν posuit; quum ne sic quidem metuerem, per amicos me certiorem fecit, si de proposito meo destitissem, se iudicii periculo me esse liberaturum. Tum acerbissimis maledictis in Calliam et Calliae gentem invehitur, et turpes eius amores describit. Postremo sic rogat: cur tertio demum post anno inimici me petunt? Quia eo tempore satis cognoverunt, me improbis semper molestum, semper adversarium futurum. Et quod ad meas navigationes pertinet, putatisne deos immortales mihi pepercisse, ut Epicharis et Cephisii victima caderem? Tandem post argumenta quaedam ad rempublicam pertinentia suaeque sortis commiserationem orationem absolvit.

Haec ita exposui, non solum ut data facultate argumenta quaedam refellerem, quibus quis uti possit ad orationis auctoritatem refellendam, sed etiam quia censebam, ex tali breviore sed non nimis succincta dispositione magis quam, si quis totam orationem perlegeret, et eius rationem consiliumque perspicua fieri, et apparere quam nulla sit veri species, tale opus ab impostore esse factum. Insunt quaedam, quae iure reprehendi possint; sed insunt plura egregia et optimo oratore dignissima. Eorum exemplum sit quod legitur § 72[a], ubi orator, demonstraturus abrogatum esse Isotimidis ψήφισμα, haec praemittit: καίτοιγε τοιαύτην ἀπολογίαν περὶ αὐτοῦ ποιήσομαι ὅπου μὴ πείθων μὲν ὑμᾶς αὐτὸς ζημιώσομαι, πείσας δὲ ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν ἀπολελογημένος ἔσομαι, quo referendum fictum illud sub trigintaviris iudicium (§ 101[a] sq.), quod vel nobilissimos Lysiae locos aemulatur. Sed, ut iam dixi, multo magis e totius orationis conspectu apparet, non potuisse tale opus e rhetoris umbraculo provenire. Quis credere possit, rhetorem causam tam intracatam de suo finxisse, et de ea talem scripsisse orationem, quae quum optime vero iudicio et reo vere instans periculum defendenti conveniat, fere nihil habeat quo posteris lectoribus commendetur? Non enim locos habet communes, callido artificio compositos, quales imprimis ab artis oratoriae magistro vel discipulo erant expectandi. Omnia produnt oratorem in foro parum exercitatum, sed necessitate coactum, ut iudicum animos movendo e capitis periculo evadat; adversariorum malas artes, sua incommoda atque miserias, tam accurate describit ut nihil omittat, quod prodesse possit; quod dicendi genus, si quis censeat quemquam imitari potuisse, qui rebus gestis non interfuisset, ei licebit et de orationis κατ᾽ Ἐρατοσθένους auctore dubitare. Quin etiam plerique illi in historia errores ab oratore committi potuerunt, qui non solum id, quod sibi nocere possit, mutat et in suum commodum detorquet, sed et de tota historia tam securus est, ut ea describens quae ad rem minus attinent, ridicula sibi mendacia excidere patiatur. Alienissimi vero illi errores sunt ab eo, qui de ficta causa orationem scribendo doctrinam et ingenium suum ostentare velit; talis homo non scripsisset Alcibiadem ter fugisse, alios bis occisos vel bis in exilium pulsos esse.

Tandem eo, unde sum digressus, revertor. Demonstravi orationem περὶ τῶν μυστηρίων genuinum esse Andocidis opus; quamquam vix ea demonstratione opus erat, nam credo ne ipsum quidem Naberum hoc tempore contrarium defendere velle. Scatet tamen oratio mendaciis, et narrationes pleraeque

cum iis, quae aliunde novimus, certant. Cuius rei hanc esse causam docui, quod veritatem sibi obfuturam esse ipse orator probe intelligeret, deinde etiam, quod in iis, quae cum causa sua minus coniuncta essent, diligentiam sperneret et nihili faceret veritatem. Eadem causa est in comicis; modo adversarios suos laedant, ne in iis quidem veritatem morantur, quae spectatoribus notissima esse haud ignorant. Nemo erat Athenis, quin nosset, Socratem nullas a suis discipulis accipere pecunias: tamen eum pretio docentem facit Aristophanes. Quid ergo inde apparet? Nempe in rebus historicis tum demum comicorum et oratorum testimoniis uti licere, si quae narrant plane cum iis, quae aliunde cognovimus conveniant, sin alicubi id tradant quod sine eorum testimonio inauditum nobis foret, id unum constare, sic comici vel oratoris rationes ferre, sed utrum vera an falsa narrent in medio esse relinquendum.

In comicis post Müllerum-Strubingium vix quisquam peccabit, nec minus de oratoribus idem apud omnes constat. Sed non semper quod constat ubique observant viri docti. Utar uno exemplo, quod se mihi forte obtulit. Quis dubitat, quin in antiquitatum Atticarum doctrina facile omnibus praeripiant palmam Meierus et Schömannus? Tamen et illos demonstrabo uno Andocidis loco nisos id docere, quod vix sit credibile. Nemo ignorat, hanc fuisse Athenis legem, ut, si quis accusator in iudicio publico causam suam non quintae iudicum parti probasset, ei mille drachmarum multa diceretur, deinde etiam, ne posthac ei liceret eiusdemmodi quaestionem instituere. Profecto satis severa erat illa lex, neque opus erat singulare quidquam addere. Quid vero Andocides? „*ἐὰν μὴ μεταλάβῃ*" ait

§ 33[a] „*τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων καὶ ἀτιμωθῇ ὁ ἐνδείξας ἐμὲ Κηφίσιος οὑτοσὶ οὐκ ἔξεσται αὐτῷ εἰς τὸ ἱερὸν τοῖν θεοῖν εἰσιέναι ἢ ἀποθανεῖται.*" Meierus et Schömannus ergo in praeclaro libro de iudiciis Atticis haec addunt p. 734[a]: „praeterea in iudiciis de re sacra, nisi accusator quintam partem sententiarum obtinuisset, fas non erat eum in hoc illudve templum introire"; et in calce paginae nostri loci testimonium citant. Cautius credo fecissent, si totam rem vel omisissent, vel ad calcem paginae relegassent. Nam numquam mihi persuadebitur, fuisse corpus iuris Attici tam omnibus numeris absolutum, multo minus plebem iudicantem illud tam probe memoriter tenuisse, ut, si iam talis lex exstaret, Andocides non opus esse censuisset eam recitari iubere. Sed quod maximum est, non licet ita de iure et antiquitatibus libros scribere, ut quidquid oratores tradunt et contendunt in unum corpus colligas, etiam ea quae nulla ope aliena defenduntur. Id non semper et ubique esse observatum hoc uno exemplo fit perspicuum.

Dicebam tum demum oratoribus fidem esse habendam, si ea quae tradunt cum iis, quae aliumde novimus, conveniant. Hoc si probe teneas, nonnumquam etiam orator historico lucem afferre potest. Huius quoque rei exemplum dabo ex Andocide, et in eo finem faciam. Thucydides, postquam narravit eorum, qui in carcere essent, unum et suam et aliorum quorundam culpam esse confessum, eosque indice excepto esse interfectos, sic pergit c. 61[0]: *περὶ δὲ τοῦ Ἀλκιβιάδου ἐναγόντων τῶν ἐχθρῶν, οἵπερ καὶ πρὶν ἐκπλεῖν αὐτὸν ἐπέθεντο, χαλεπῶς οἱ Ἀθηναῖοι ἐλάμβανον· καὶ ἐπειδὴ τὸ τῶν Ἑρμῶν ᾤοντο σαφὲς ἔχειν, πολὺ δὴ μᾶλλον καὶ τὰ μυστικά, ὧν ἐπαίτιος ἦν, μετὰ τοῦ αὐτοῦ λόγου καὶ τῆς ξυνωμοσίας*

ἐπὶ τῷ δήμῳ ὑπ' ἐκείνου ἐδόκει πραχθῆναι. Satis obscure haec dicta sunt, nec facile reperias quo modo alterum ex altero sequatur. Quid? *Quoniam* Athenienses putabant se de Hermocopidis veritatem comperisse, *ergone* putabant ***eodem*** evertendae reipublicae consilio mysteria ab Alcibiade esse profanata? Aequales Thucydidis non est dubium quin eius mentem optime perspexerint; nobis vero ea ex Andocide demum fiunt perspicua. Sic enim narrat Dioclidem denunciasse (§ 42[a]): „ἡμᾶς δ' εἰπεῖν ὅτι δεδογμένον ἡμῖν εἴη δύο μὲν τάλαντα ἀργυρίου διδόναι οἱ ἀντὶ τῶν ἑκατὸν μνῶν τῶν ἐκ τοῦ δημοσίου, ἐὰν δὲ ἡμεῖς κατάσχωμεν ἃ βουλόμεθα, ἕνα αὐτὸν ἡμῶν εἶναι." Non ergo nomina tantum reorum detulit Dioclides, sed hoc quoque addit, eos conspirasse in patriam, et nefario suo facinore liberae rei publicae spectasse perniciem. Et callide prudenterque ita denunciavit Dioclides. Nam nisi hoc addidisset, non satisfecisset populo; si eos dixisset e mera ebrietate atque intemperantia Hermas mutilasse, nullam ei fidem habuissent Athenienses, ne de praemiis dicam et laudibus publice decretis. Qui enim semel periculum patriae impendens ab optimatibus, quibus ἅπαντα ἦν τυραννὶς καὶ ξυνωμόται animo concepissent, eos credibile est facile aurem praebuisse cuivis indici, modo homines nobiles nominaret, simulque eorum periculosa reipublicae consilia proderet; qui si ita denunciaret, parati erant cives, libertatis studiosi, aperta mendacia et ridiculas contradictiones concoquere. Profecto si Dioclides aut de impiorum hostilibus consiliis tacuisset, aut minus nobiles homines indicasset, non solum οἱ νοῦν ἔχοντες, sed universus populus statim observasset, non posse interlunii tempore homines ad lunae lumen agnosci, statimque homo falsi indicii dedisset poenas. Idem et Andocides intelligebat; ergo, quod Dioclides de impiorum consiliis dixerat, de eo

nihil detraxit, sed ultro populi suspiciones aluit et corroboravit. Quae enim narrat, omnia pertinent ad factionem nobilium; eorum verba oligarchica consilia innuunt, velut haec e § 63[a]: σὺ μέντοι εἰ μὲν ἀξιοῖς ἡσυχίαν ἔχειν καὶ σιωπᾶν, ἕξεις ἡμᾶς ἐπιτηδείους ὥσπερ καὶ πρότερον· εἰ δὲ μή, χαλεπώτεροί σοι ἡμεῖς ἐχθροὶ ἐσόμεθα ἢ ἄλλοι τινὲς δι' ἡμᾶς φίλοι. Quam egregie haec conveniunt cum Thucydide, quam perspicua nunc fiunt eius verba modo citata. Tandem aliquando Athenienses non solum patriae illos infestos proditores, sed etiam ipsam proditionem manibus tenebant; quae anxio animo suspicati erant, ea se non temere metuisse nunc certo sciebant. Quumque iam constaret, ceteros sibi hoc propositum habuisse, ut statum popularem everterent, quanto magis idem voluisse Alcibiadem consentaneum erat, in quem iam ab initio civium mentes erant conversae, et in quem nunc ὅλος ὁ δῆμος ἐρρύη σχολάζοντι τῷ θυμῷ.

Iam ad finem perveni. Uno exemplo ostendi, quemadmodum legendus sit Thucydides, et quae sit in rebus historicis oratorum fides. Qua in re si probatis iudicibus operam meam probavero, posthac eodem consilio alios quoque historiae Atticae locos tractabo.

Lugduni-Batavorum d. xvi m. Maii.

Imprudenti mihi errores nonnulli exciderunt, quos tum demum observavi, quum libellus iam typis impressus esset. Benevolum lectorem rogo ut eos inter legendum corrigat.

P. 3. l. 12 post *omen* inseratur *esse*.
P. 4. l. 17 pro *dixi* legatur *dicebam*.
P. 5. l. 3 pro *non nisi* legatur *nil nisi*.
P. 6. l. 1 pro *prae* legatur *ex*.
P. 16. ann. 2 pro *nimis* legatur *magis*.